

Johann Simonius

**Joannis Simonii Megapolitanorum**


**Fasciculus IV., Pars II.**

Rostochii: Typis Reusnerianis, 1609

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730502392>

Band (Druck) Freier  Zugang





*Ms. A. 404.*

Joannis Simonii  
MEGAPOLI-  
TANORUM

*Fasciculus IV.*

*ejusque*

Pars II.



ROSTOCHI

*Praelo Reusneriano Anno 1609.*



REVERENDIS,  
MAGNIFICIS, CL. CONSUL-  
TISSIMIS DOCTISSIMISQVE VI-  
RIS, Dominis Doctoribus ac Magistris,  
ex collegio Professorum Amplissimi Se-  
natus Rostochiensis, Theologiam, Ju-  
risprudentiam, Medicinam & Philoso-  
phiam, publicè in hac Academiâ  
hoc tempore docentibus,

Dominis & collegis meis, omni observantiæ studio  
colendis, universis & singulis, S. D.



*VM PLVRIMA, EAQ;  
propemodum infinita, extant Dei  
Opt. Max. in nos nostrumq; genus  
beneficia; tum duo mihi videntur  
præ cæteris maximè admiranda;*

*Doctrinæ cælestis & honestarum artium conser-  
vatio, & perpetua officinarum, quibus hæc duæ  
tantæ res excoluntur & celebrantur, inde post  
homines natos, conjunctio. Etsi enim negari  
non potest, non tantum Cainum, primum par-  
ricidam, statim in initio à Patris schola & Ec-  
clesia secessionem fecisse, sed ab eo, quo genus hu-  
manum*

manum; inaudito iræ Dei exemplo, ferè totum deletum fuit, diluvio, semper extitisse, qui hoc dignitatis & necessitatis & suavitaris plenum Ecclesiæ & scholarum conjugium divulgum cuperent: Deus tamen, Pater ille æternitatis, inter tot mundi furias, inter sævitiam Diaboli effrenatam, inter tot furentes ac violentos temporum impetus, inter acerbissimas vexationes, mirandasq; artes, semper Ecclesias & scholas; quanquam non semper iis eadem doctrinæ lux affulsit; mirabiliter conservavit, earumque conjunctioni vitæ & sophismata, clementissimè defendit.

Ejusdem Patris opus est, quod Ecclesiis hujus incluti Ducatus Megapolensis, Academia hæc, ut esset hujus ditionis summum, bonas literas & doctrinam cælestem docentium, collegium, olim est addita: quodq; Ecclesiarum nostrarum & hujus Academiæ conjunctio jam ducentos annos stat inconcussa & inviolata. Est quidem hæc nostra Academia cum aliis, tum hoc proximo novennio graviter debilitata atq; afflicta, morte plurimorum virorum, virtute & auctoritate præstantium, quorum ferè singuli singulas Academias ornare potuissent, Davidis Chytræi, Theologi, Philosophi, Oratoris et Historici; Henrici

rici Camerarij, Marci Luscovii, Iurecon-  
sultorum; Martini Braschij Poëta & orato-  
ris; Christophori Sturcii, Iureconsulci &  
Historici; Davidis Lobechii; Ioannis  
Frëderi; Valentini Schachtii, Theologo-  
rum; Erasmi Stocmanni, Physici; Ignatij  
Hannielis, Iureconsulti & Historici; Lucæ  
Bacmeisteri Senioris, Theologi: quibus fa-  
tum nuper M. Ioannem Holsteinium,  
Academiæ Secretarum superaddidit: quorum  
virorum præcipitato, & quidem alio alium im-  
pellente, obitu, non leve Academiæ nostræ vul-  
nus inflatum sentimus.

Sed Filio Dei, sedenti in dexteris Patris,  
& dona danti hominibus, gratias debemus sum-  
mas, qui & in decedentium plerorumq; locum a-  
lios, quibus discantium profectus Academiæq;  
dignitas curæ sit, viros eruditione atq; virtute  
claros succenturia vit; & has Athenas Mega-  
politanas dat esse pietatis, veræ religionis, & o-  
mnium honestarum artium maximarumq; disci-  
plinarum domicilium, si non undiquaq; omnibus X  
sui partibus examussim ornatum, tamen ho-  
nesto honorum virorum, qui his Aethenis docendo  
regendoq; præsumt, inter se eodem erga literas,  
erga disciplinam, erga religionem, erga rempub.

A 3 un ver-  
M. J. Danne Jab cur cur  
A.



universam, studio, iudicio atq; animo, fulcitum  
atq; communitum.

Hoc immensum Dei beneficium, juxta eorum, quos præmissimus, virorum præstantissimorum, collegarum nostrorū, piam memoriam, tum omnes deprædicamus, tum & ego recolo. Cujus mei sensus, ut aliquis extaret testis, has pagellas, incomtas licet, & augustissimo sanctissimoq; Poesseos nomine minimè dignas, in publicum dare; idq; sub vestros; viri Reverendi, Magnifici, amplissimi, clarissimi atq; doctissimū, auspicio volui, tum ut collegis nostris, piè defunctis, quorum in benedictione laus est, aliquam pietatis columnam q: ponerem, tum ut conjunctionem animorum inter nos, diversi quidem collegij sed unius corporis Academiae membra, hoc ipso testatam facerem: quā si inter nos non tam conservaverimus, quàm incitaverimus, hoc factū nec magis quicquam ad Academiae dignitatē accedere, nec votis bonorū exoptatius contingere, nec presenti hominum iudicio laudabilius proponi, nec posteritatis expectationi admirabilius relinqui potest. B. B. V. V. Rostochio Kal. Martij Anno 1609.

V. V.

Studiofiss.

Ioannes Simonius.

Præca-



PRECATIO IN AVSPICIO  
novi anni.

**S**ancte, cunctorumq<sup>3</sup>, potens, Puella,  
Lucidum Patris decus! o colende  
Semper, ac hymnis memorande sacro hoc  
Tempore castis,

Christe! quem molli gremio cubantem  
Virginis lecte, mare, terra, coelum,  
Et suum vili stupuere Regem  
Vellere fultum:

Quo tuo, Iesu, pia vota jussu,  
Quod tua freti bonitate, multo  
Ducimus carmen gemitu, benigna  
Suscipe mente.

Christe, qui verbo sobolem sacrato  
Fertilem gignis, lacrumas crucemq<sup>3</sup>,  
Inter, ab possit polus hac nihil quid  
Visere majus

Gente, qua clarus rutilante curru,  
Temporis mensor, nitidum diem Sol  
Promit & condit, variusq<sup>3</sup>, & idem  
Nascitur orbi:

Gente: quam largi roseo cruoris  
Fonte; quam clavis tremulis redemptam,  
Exulemq<sup>3</sup>, exul pia post reduxisti ad  
Limina caeli!

A 4

Aspicio,

Aspice, inferni furialis ut fraus  
Terreat sanctum populum, Redemptor,  
Et tuam gentem! mala nos, mala eheu

Vndiq; quassant!

Hinc aper Thracus, rabiosus illinc  
Corporis falsarius, & cruoris,  
Romaq; hinc sevis animis ruunt, &

Impete vasto

Vineam turbant; cupidi cruentis  
Vnguibus lentam lacerare vitem,  
Atq; cum bulbo placitum Fehovæ

Tollere fructum.

Ni fides staret tua, ni, Iehovah,  
Quod semel dictum est, stabilisq; verbi  
Terminus staret; ruerent ab imo

Stipite stirpem!

Conditor misis, placidusq; pœnis,  
Supplices audi miseros, Redemptor,  
Siderum Rex ac Erebi, Puella,

Nos bonus audi!

Si tuum est Princeps opus, & Lyceum,  
Nostraq; urbs; longam patriæ patriq;  
Da senectutem: Heruleusq; sanguis

Te Duce regnet.

Fac fides & Pax & honor, pudorq;  
Priscus inter se societ jugeniq;  
Dexteras: donet Cererem coronâ

Fertilis annus.

Da joves puros, animamq; puram,

Da pro-

Da probos mores rosea juventa,  
Da Rosa civi, Bone, remq<sub>3</sub> prolemq<sub>3</sub>  
Et decus omne.

Appluant genti Herulea beato  
Copia cornu: redeat Lyceo  
Spreta jam virtus, coeantq<sub>3</sub> morum  
Vincula rupta.

Sic Duces, urbem, Roseas Camœnas,  
Remq<sub>3</sub> nostrorum, Heruleosq<sub>3</sub> Iova  
Alterum in seclum, meliusq<sub>3</sub> semper  
Proroget avum!

Hæc Patrem sentire, Patriq<sub>3</sub> Flamen,  
Spem bonam certamq<sub>3</sub> domum reporto,  
Doctus & Christi chorus & Iehova  
Dicere laudes.

1591.

---

*Nuptiis Illustrissimorum Principum*  
Dn. FRIDERICI, Ducis Curlandiæ,

&

Dn. ELISABETHÆ MAGDALENÆ, Ducis  
Pomeraniæ.

**F**Ridrice, eximium Principis ð decus,  
Arctiq<sub>3</sub> poli Sol quater inclute!

Splendentis Pavio marmore purius,  
Vrit quem Elisabes nitor:

Scribent Meonij carminis alites,

Non rari, lituos conjugij novi

Vestros: magnificis non perituraq<sub>3</sub>  
Jungent verba modis cati.

A 5

Herois

Herois animas versibus addecer

Heroos animos, non malè comparè,

Innexos, genio, suavibus osculis,

Quæ sanctâ Venus imbuir

Mellis parte sui. Verum age quid vetat

Imbelli Paphia, cum puero suo,

Imbelli citharâ, Musa, potens lyra,

Si nunc carmina dividat ?

Non dicam, patulo quos vehit ambitu

Per terras, meritis, Gloria, laudibus,

Sponsorum proavos, pectora regia,

Illustresq; animas Ducum !

Gottardum, patria Livonia patrem :

Cui, Virtus, madido sanguine Moscico,

Ornabat foliis tempora Delis :

Quis dignè canet hunc Ducem ?

Quis dignè memoret Heruleos Deos ?

Quis dignè Venedis regibus editam

Matrem, Sponse, tuam ? quis Pomeraniæ,

Quis dignè Dominos canet ?

Heroas, Clarÿ quos equus impiger

Currus perpetuo ducit Apollinis.

Quis Guelphos ; tunicâ quos adamantinâ

Mars, & Casareum genus

Clarant ; divitibus consecret insulis

Digné ? nò, imperium cui Pater in gregem

Vatum ; quale habuit Virgillum caput ;

Irato, dedit, haud Jove ?

Quid mi ferricrepis cum pedibus rei

Diſturo

Dicturo Venerem ? cui placuit pares  
 Memes atque Deos sub juga mollia

Dulci mittere cum joco.

O Pimplea ! decens tendere barbiton,  
 Et sacrare novas docta faces lyrâ,  
 Huc adsis, croceum cincta caput rosis,  
 Nec desit breve lilium.

Verum adsis subitò. Cernis ut inclutus  
 Ille heros : Pietas quem & sôphie & decus  
 Illustre irradiant : deproperet torum  
 Commendare suum Deo.

Verum adsis subitò. Cernis ut incluta  
 Heroa Elisabê Magdalis ; integra  
 Cui virtus niveo in corpore, & , bespero  
 Fulgenti similis, pudor

Admorunt faculas ; hæc viden ? ut suos  
 Ellabetha oculos in Friderici oculos  
 Deponat niuidos, & bene mutuis  
 Fidum pectus amoribus.

Salvete ô anima, nobile Principum  
 Par ! en melle - fluens lata Curonia  
 Ut plaudat digitis ! en Pomerania  
 Ut vestro Thalamo paret

Applausus ! at enim tu Pie, Maxime ;  
 Cui cura torus est ; Phœbe ubi luxerit  
 Bis quina, ut creperis alta palatia  
 Bauscenburgica instrepent

Fac cunis : ut avos posteritas pia  
 Fridricum & Madalin devocet : hoc bona

Tanto

Tanto, dives opum, pace beatag,  
 V: Curlandia gaudeat.

Celebrabantur V Volgasti Pomeraniæ An. 1600.



*In Nuptias*

JACOBI BORDINGI IC., Can-  
 cellarij Megapolitani.

**V**Lrici Ducis incluti  
 Qui res consilio, Vir, regis arduo;  
 Sic te Iova potens poli,  
 Sic te conjugy maximus arbiter,  
 Te, Bordinge, bees novum  
 Sacra ingrediens thalami decus!  
 Deducant Veneris rotas,  
 Nigro felle carentes, Cytherea aves:  
 Arbor Palladis uberi  
 Turgentem generet neckare Pampinum:  
 Vlmō palmes honor suo,  
 Vlmusq, umbra sua viticula fiet:  
 Dum canis saturos comis,  
 Et prole eximia conspicuos, senes;  
 Florentem meritis virum,  
 Matronam egregiis egregiam bonis,  
 Firmatos stabili fide,  
 Ad bustum Libitina una ferat duos!  
 Illi tergeminus canis

Circa

Circa pectus erat, qui socias faces  
 Accensus iterum, ferus  
 Damnabit, Latio praesul in atrio.  
 Nec turpis timuit pati  
 Ignes illicitos, ac potius toros  
 Sectari, licito jugo  
 Quam quos juncta tenet copula, cernere.  
 Nequicquam Deus aestimat  
 Credentum thalamos, sancta cubilia,  
 Aut frustra viduas jubet  
 Compostè socium querere lectulum:  
 Si turba tamen impia  
 Devoti violant fœdera lectuli.  
 Audax omnia vertere,  
 Per divina ruit Tisiphones tribus.  
 Audax Pontificum genus,  
 Verbum, fraude mala, gentibus abstulit;  
 Post verbum ætherium, dolo  
 Subductum, variorum nova dogmatum  
 Terris incubuit cohors.  
 Missarum stygiam mensor arundinem  
 Doctus, traxit ab inferis  
 Custodem triplicem Marte palestrico.  
 Atlantem vacuum ratus  
 Tarpeius, super hunc se posuit, Lupus,  
 Quid? terram, mare, sidera  
 Perrupit, nimium! Missificus labor  
 Per tantum scelus! at Dei  
 Dono, vivifici dogmata spiritus

Florent,





At Puer, postquam madidus recessit  
 Algor, & virtus redijt vigorq̄;  
 Imbre num laesus meus hic sit arcus,  
 Ergo probemus,

Inquit. & lunat dubiis minacem  
 Cornibus nervum, simul ac sagittâ  
 Chemnici, nil à puero timentis,  
 Transadigit cor.

Et, meus saluus mihi nonnè nervus?  
 Cum cachinno inquit: celeresq̄ nudus  
 Induens alas abit ad Cytheræ  
 Spumea tempe.

Sensit ut vulnus; puer hic cubili  
 Laesit excitum, camera est petenda,  
 Chemnicus dixit, medicinaq̄, isthinc  
 Ritè petenda.

Margari quid tu Cameraria istum  
 Chemnicum, fuscum faciem, stupefiscis  
 Torret hunc Cypris violentioris  
 Syriibus, igni.

Sive amor, rerum dominus, facesvè  
 Chemnicum ambulant; mea corda Flamma  
 Peccinant: noster cluet ille Amyntas,  
 Margaris addit.

Annuat cœlum: tonuit sinistra  
 Jupiter: plaudunt Charites: recurvâ  
 Margare comit: Domiduca flavos  
 Cuspide crines.

Immola se tam bona Caja porcam;

Tu lae

Tu lares Caj, ô Themidos propago,  
Siste Grundiles, ferat hinc jugalem  
Cinxia cinctum.

Sic, ubi fratrem novies puella  
Transit Phœbe, streperâ & suavi,  
Parvulus somno excutiet profundo  
Voce parentem.

Parvulus, magnos referat Parentum  
Qui Patres: quem religionis ingens  
Evehat zelus, Themidosq; tollat  
Gloria cœlo.

Celebrabantur Rostochij.

In Nuptias FRIDERICI TAVBMAN-  
NI, Poetæ & Oratoris.

Strophe.

**T**Aubmanne lavacris  
tincte Pallados castis totus:  
qui, quod comitatus est prisca,  
tenes ad unguem;  
seria sive jocos tractes:  
cujus cithara cantibus & numeris blandisonis immensum  
argutuleq;  
personat:  
uticunq; dente livido frendentes

Marculus

*Marculus & Marcus furiis ringantur & ira!*

*Ecquam tuarum alternam, Deo datam, requiem vigi-  
posuisti? ecqua te Venus* (clarum

*non pœnitendâ compede detinet?*

*Elisabethane? ille*

*delicatulus virguncularum ocellus?*

*luminibus Iunonem, lacteolo manuum decora*

*aquans Minervam? cui decentium morum*

*politulum perpolivit pectus elegantiam Pietas,*

*dulcissimoq; loquelam dulciorem nectare*

*Charites finxerunt?*

### ANTISTROPHE.

*O dia pœsis!*

*artibus politis si regi-*

*nam imponere Iupiter gesti-*

*ret, an negaret*

*Ipsi tibi meritò regnum?*

*Tu tu Philosophia oculus, Charitum delictum, orna-*

*Humanitatis* (mentum

*Mâ clues:*

*utcumq; dente livido frendentes*

*Marculus & Marcus furiis ringantur & ira!*

*Tu castum amorem spirans venustulas veneres juve-*

*citas, his qui te colunt.* (nibus con-

*Vertatur ardens Iupiter auream*

*in pluviam, bovemq;*

*blandulam induat, plumas vè nescia catus*

*sumat adulter Ledes, non opus est tenero Poetæ*

B

alis;

alis; licet sanguis sit is parentum pau-  
perum: suis involutum dotibus eum probat sine do-  
te & quarit innocuus, castâ Dione vallibus  
paradisi natus

## E P O D O S.

Pusio. Precari si alicui quid iuvat,  
Ut iuvat, boni; apprecor vobis sponsi lepiduli,  
sponsi mellituli, sponsi venustuli,  
nullo videaris vestrum termino  
amorem claudier.

Digni etenim estis, in quos Deus  
beneficiorum suorum resignet Daten, &  
quos optimi nepotes conspiciuntur ex  
nepotibus optimis  
perpetim reseminari.



## In Nuptias

## ISAICI MEMMII J C.

**M**Emmi Castalij praesidium chori,  
Et sacra Themidos dulce decus: Iove  
Sentis ei quid opus, blandula ut ustulas  
Sinceris jecur Angelæ  
Flammis? Insipientis sapientie  
Consultus superum provida numina  
Ejuret, sceleris non sine crimine  
Blasphemisq; furoribus.

Dum

Dum tibi, Pæoniis artibus incluti,  
 Quem cassum Rosea suspiciunt Dea,  
 Ductu atq; auspicijs, Varniades, Patrîs,  
 Musas prima elementaq;

Instillant: Itale dum teris orbitam  
 Telluris, sitiens Castalias opes:  
 Dum te multiplici clara Bononia

Doctrina auget & artibus:

Dum docto capiti docta palatia  
 Indulgent Themidos laureolam tuo:  
 Ac dum tu Holsatix Magna negotia

Prudens consilio iuvas:

Ad castrum Hammonium ecce interea tibi  
 Nutrinur roseis virgo labellulis,  
 Quam forma & pietas, quâ pudor, & decus  
 Stirpis nobile quam beat.

Illam Niburio Iustitiæ cato  
 Mysta progenitam Pincerius, sacra  
 Qui Rector cathedræ, Magna ubi mœnia  
 Lubecæ mare Balthicum

Despectant, tibi fausto oscine; avunculo  
 Sponsæ Radminio, consilio Ducis  
 Guelphum, & magnifico VViteris hemio  
 Applaudentibus; adjudat.

Hæc Memmi, fieri non sine numine  
 Mecum inquis: superest, ut tibi comprecet  
 Annos Nestoreos, Attalicas opes,  
 Prolem Ægyptiaci Beli.

Certent dulcisonis nabilia tibijs,

B 2

Adsint

Adfint blandiloqui cum choreis joci:  
 Adfit cuncta fovens ipse Favor Dei,  
 Et vos vestraq, adimpleat.

Celebrabantur Hamburgæ 1600.

*Nuptiis*

IOANNIS GEORGII GO-  
 DELMANNI, IC. Comitis Palatini,  
 & aulæ Electoralis Saxonæ Consilarii:

&

CATHARINÆ JENIZIÆ,  
 Viduæ.

**G**odlmanne! gentis gloria Saxonum,  
 Septemq, magni cura Ducis viri;  
 Cui vasta docto dividenti  
 Ore negocia Cæsar, orbis  
 Rector, benignas sapius admoveat  
 Aures! ut illâ lugubris Atropos,  
 Lecti jugalis, plus medullis  
 Luminibusq, tuis amatâ  
 Consorte pridem te viduaverat:  
 Solus dolendo, turturis in modum  
 Suavi carentis compare, omne  
 Solus agam superest quod avi;  
 Tecum sub alto pectore cogitas:  
 Solus procellas, inquis, & impetus,

Et naxo

Et nauseatum perferam, quem  
 Vita ciet vidua hac, dolorem.  
 Te, clarus alma Saxonie Ducum  
 Sanguis potentum, Christiades: DEVS  
 Cui rex Deorum excelsum  
 Atq, decus dedit invidendum;  
 Mentis pia quem vivida alacritas,  
 Et digna tanto Principe dignitas,  
 Ex ore, factis, que relucet,  
 Conspicuum Veneris magè igni  
 Reddunt: ne audit pectore talia  
 Volventem. at istum præcipe lugubrem  
 Cantum, inquit, ô Godlmanne! duces  
 Auspiciis Genitricis atq,  
 Nostris Cathrinam Ieniciam: illius  
 Vultu calesces, quod reor, intimos  
 Vestrum utriusq, urente sancto  
 Aligero jecoris recessus.  
 Godlmanne! nunquid Principis absuis  
 Dictis fides? en comprobat approbare  
 Vocem Iovis vestri Iehova;  
 Ieniciamq, tibi, jugalem  
 Cum qua secundo consocias torum;  
 Castam, pudicam, paniceis genis  
 Cui os candidum inflammat labella;  
 Adjugat oscinibus secundis.  
 Gaude bono isto! gloria Saxonum  
 Godlmanne! septem cura Ducis viri

B 3

Gaude



Gaude ! viden' Dresda alta ut omnis  
 Te thalamos iterante plaudat ?  
 Septemvir, illud Saxonia decus,  
 Germania Sol, stella Ducum, tibi  
 Gaudet, suas mox affuturas  
 Delicias meditans, Deamq;  
 Quam transmarino Dania littore  
 Missura, jam jam ducet in obvios  
 Herois amplexus ruentem,  
 Participemq; tori cupitam.  
 Godlmanne gaude ! cernis ut inclytâ  
 Praeclara mater Christiadae, boni  
 Rectiq; praeses, cujus ori  
 Insidet ipsa Themis ; verenda  
 Cujus fides in pectore candido  
 Fixit locum: jam cernis, ut haec Charis  
 Latetur istis blanda tedis,  
 Et sapiens Sophia illa plaudat !  
 Godlmanne gaude ! pampineas, tuis  
 Ingens voluptas, hortolus, adibus,  
 Frondes superbo nutrit ausu,  
 Deliciasq; tibi & Cathrinæ :  
 His subter unâ mox spatiemini,  
 Eous ut primum auricomum tulit  
 Phœbus jubar : quin huc queatis  
 Sole calente meridiari ;  
 Fundente gratas ubere palmitis  
 Umbras decenter ; tum, variis sato

Formis, loco arridente vestris

Basiolo atq; jocis latenter.

Godmanne gaude; sic Deus optimus

Fecundet, ornet, laetificet, beet

Vestrum torum: nec turpe ducam

Hic, ubi Varniadas Rosetum


Incingit umbris, spargere mollibus

Terram ligustris, dum tibi ducitur

Optata, lucemq; hanc, redux Sol

Cum revehit, celebrare cantu.

Celebrabantur Dresdæ 30. Aug. 1602.



## BALTHASARI SECERO Philosophiæ Magistro.

Fontem bonorum nobilem optimè censes,

Balthassar, artes; unde, quicquid in vita est,

Boni beato plena copia emanat

Cornu. quæ enim, quod vivimus breves, avi est

Pars; sive privis, sive publicis quæ sint

In rebus actites, forisvè vel tecum;

Pars literis bonis carere quæ possit?

Secere sic censes: tuamq; factò ipso

Mentem probas; quam hac comprobat dies, quæ te

Non pœnitenda per polum feret pinnâ.

Et comprobabis ipse, quando spectabunt

Te jam forum, aut quacunq; sis locatus re.

O Hippocrene splendidus magis fulvâ

B 4

Fons

Fons laminâ, fons lucidus magis vitro |  
 Tu cœnum ocellis abluis triforme istud  
 Nostris, Sinessanis potentior lymphis!  
 Quàm est dulce limpidas aquas tuas labris  
 Libasse supremis! Secerus at totum  
 Se fert tibi acceptum; meroq; te dulci  
 Dignatur, ac hædo, cui novis turget  
 Frons cornibus. donande m̄ die hoc lauru  
 Vidrice, & haud carente floribus tauro.



Regulæ vitæ, seu Alphabetum  
aureum.

**I**N fidem soli dato te Jehova:  
 Viribus credas hominum nec ullis:  
 Pacta qui servat Deus est: in orbe  
     Cetera fallunt.  
 Sis tui custos vigilax pudoris:  
 Et cave culpas: preciosius nil  
 Est bonâ fama: perit hæc, semel si  
     Turpia patres.  
 Nec loquax esto: mage plurima audi;  
 Hoc erit laudi tibi: non locutum  
 Neminem læsi: nocuere labra  
     Garrula multis.  
 Cede majori: reputa minorem  
 Te: nec hinc ullum metues periculum:

Et c.

Et cave ledas minimum: ut quietè

Vivere possis.

Mente cur effers, homo, te superba,  
Nactus ingentes cumulo bonorum?  
Non ob id dantur, fera corde ut alto

Pectora sumas.

Pluris ac ipsum rutilans fac aurum,  
Sis ubi ornatus probitate: gaze  
Quando te linquent, probitas nec in ipsa

Morte recedet.

Pauperum lotus meminisse debes,  
Te bonis postquam Dominus beavit:  
Divitis ne te mangan, IEhovâ

Indice, pœna.

Si tibi quisnam bene fecit, esto  
Semper illius memor: at dolebis,  
Proximum si quem videas jacentem,

Viscere toto.

Cum tibi floret juvenilis ætas,  
Ferre jam disces cupidus laborem:  
Senior postquam veniet senectæ,

Est labor Ætæna.

Omnium non te moveat suada;  
Grata nec si te faciant vidente:  
Sapè blanditur tibi lingua, cum cor

Nesciat illud.

Si quid adversi est, malè ferre noli,  
Gaudeas aurâ siquidem benignâ:

B s

Ortus

Ortus & finis simili recurrunt  
 Tramite nunquam.

Semper, iratus, moderator iræ,  
 Causa nec pugnam levis excitabit:  
 Bile cacatur catus, ut minus rem  
 Cernere possit.

Nec, quid ut discas, tibi sit pudori,  
 Si mihi credis: sequitur scientem  
 Multa amor: contra stupidum veretur  
 Spernere nemo.

Præter hæc, illud quoq; te monebo:  
 Si quis accuset, citò ne fidem des,  
 Nevè condemnes, nisi res sit ante  
 Cognita tota.

Quo loco tandem fueris, superbus  
 Esse desuescas, tumidusq; fastu:  
 Cur miser, queris, sit & hic, & ille?  
 Fastus eum egit.

Probra de nullo sere cogitavè:  
 Namq; commissio sine nemo vivit:  
 Cuncta si faris, malus, audies &  
 Quæ mala nolis.

Invoca cunctis Dominum periculis,  
 Et tibi certò veniet rogatus:  
 Linqvit is nullum, Domini voluntas  
 Cuj bene cordi est.

Temporum magnus furor est: caveto:  
 Mundus & fallax, malus, impiusq;  
 Crede ei multum? neq; labis exors  
 Turpis abibis.

Recta

Recta nunquam non loquitor nec, an te  
 Prædicent, cures: hominum quis unquam  
 Vixit aut vivit, sua cuius aequè

Facta probentur?

Quicquid hic ingens habet orbis, illi  
 Fide neutiquam: leviora plumis  
 Cuncta sunt: hic est sapiens, superna

Qui sibi curat.

Sì tibi litem moveat protervus,  
 Sva deo, cautè taceas: nec addes  
 Ignibus flammæ, siquidem malignè

Iurgia querat.

Spes erant Xerxi sua cuncta, vasta  
 Copia. casus fuit ergò. turris  
 Bella gesturo Deus esto: pacem

Cætera poscas.

Quò tibi plures venient dies, hoc  
 Ad Deum accedas magè; nec Satan te  
 Ludet. hic vita manet exitus quem,

Ceu fuit acta.

Res tuas omnes decores honesto;  
 Semper edictum memorans supremum:  
 Namq; post actum reputasse factum,

Torquet & angit.

\*\*\*\*\*  
 Nuptiis ADAMI WENCESLAI,  
 Ducis Teschinensis, & ELISABE-  
 THÆ Curlandiæ Principis.

Pronuba

**P**ronuba caeruleis liquidum per inane quadrigis  
 Inebere, & magnis vultu bona Iuno nitenti  
 Sis prestò sponsis ! seu te colit Inachus, oras  
 Sive habitas nunc Tenarias, veteresq; Mycenae.  
 Tuq; hymen hymenae, hymen ades ò Hymenae;  
 Terra jacet, bellatrici contermina ad Eurum  
 Sarmatic, medioq; diem quo spectat ab axe  
 Titan, Marcomanos lambit, subiecta Polonis  
 Quondam. Terra opibusq; & Marte atq; arte superba,  
 Ingeniis dives, Viadrog; interfluo amena,  
 Nunc Aquila & Ducibus reliquis de stirpe Pyasti;  
 Sarmatic veterum Regum qui stemma Pyastus;  
 Paret. Silesiam fama est dixisse minores;  
 Quadorum prisco mutato nomine gentis.  
 Dulcis hymen hymenae, hymen ades ò hymenae !  
 Magnanimos inter Quadorum Heroes Adamus,  
 Ante annos curamq; gerens animumq; virilem;  
 Eminent: ipse etiam deductus sanguine sanguis  
 Crusvicio. nam post Lescum geminosq; Populos;  
 Sauromatum vertente illo res, sceptris Ducesq;  
 Vertere qui potis est, & verrere sceptris Ducesq;:  
 Cracovic indomitos fasces frenosq; minaces  
 Tradebant proceres parva de gente Pyasto,  
 At bonitate tamen Recliq; cupidine magno.  
 Non genus aut proavi quondam, non aurea gemmis  
 Atria, non fastus, populivè coëmita voluntas;  
 Sed probitas virtusq; viris spectata modestis  
 Emicuit, sceptriq; viros in iura vocabat.  
 Inde Piastrides Semovitus Martia rex

Agmina

Agmina Sarmatia. is populos & regna subegit  
 Vandala, & Arctos quas Balthe verberat urbes.  
 Hujus erat pronepos, falso qui nomine Divum  
 Exploso, primus sacra Baptismatis unda  
 Perfusus Regi dedit uni nomina Christo.  
 Ergo ejus proli sceptrum sacrumq; tiaram  
 Sceptriger imposuit summus: primumq; Boleslam  
 Regali caput augustum diademate cinctum  
 Gnesna vides, Ottone ipsi imponente coronam.  
 Illum continud Viadrusq; & Bregela & Albis,  
 Et Wolga & Moravus gelidaq; Borysthenis unda  
 Tristi senserunt jaculantem fulmina dextra.  
 Alter ab hoc patrias qui cepit Mescus habenas,  
 Huic consors thalami fuit addita Filia Rheni  
 Richsa Palatini: sancte cui munera forme  
 Fataq; prudentem dederant caelestia mentem.  
 Ipsa viro hortatrix, Aquilam ut reverenter haberet,  
 Nobiliumq; truces premeret moresq; superbos,  
 Pulsa odiis regno, gnato comitata, profugit  
 Clunacum. at Nemesis, Regumq; Deiq; severa  
 Contemptorum ultrix, animo meditata nefandam  
 Vindictam, infernis excivit sedibus Aten,  
 Sarmaticumq; novis concussit litibus orbem.  
 Ergo suum Proceres peccatum & numinis iram  
 Agnoscunt, mora non, altum qua vespere pontam  
 Sol inuit, & liquidum qua rorat ab aethere mane,  
 Qui regem quarant densi mittuntur. at illi  
 Solis ab occasu Casimirum, solis ad ortum  
 Anquirunt, nullis fuit ipse repertus in anlis.

Caca



Cæca cuculligerum retinebant lumina Regem,  
 Vnde ipsum extractum, perfusi pectora magnis  
 Laticijs, cupidi quassata in regna reducunt.  
 Ipse redux animos distantes pace ligavit:  
 Et Regno, Regem quæ contra admissa sciebat,  
 Condonans delicta sagax, mox publica rerum  
 Vulnere sanavit: quo tanto principe latam  
 Candida Sarmatiam pax prospectavit Olympo.  
 Proximus huic Ladslas patriq, simillimus Heros,  
 Quiq, domi rem consilio, victricibus armis  
 Composuit foris, innocua pietatis amator,  
 Et Themidos pollens ardore potentis & equi.  
 Filius hujus erat Distortus nomine, factis  
 Impiger, intrepidus sava ad discrimina dextrâ  
 Septimus huic supra denos quater agmine justo  
 Pugnatus Mavors. Sed enim Mavorte beatus  
 In quantum ille fuit, tantum de laude beatâ  
 Subdola dispersit fraternæ cadis imago.  
 Ex quâ funestam rex inclusus, Hercule major  
 Contraxit labem, compunctaq, pectora curis.  
 Heu fatum infelix! humanos fallere vultus      “  
 Facta hominum possunt, non fallere facta, Tonantè.      “  
 At vos ne technas, Reges, audite facetas,  
 Compasitosq, dolos, quis justos sæpè maligni  
 Deturpant. puram delato gnaviter aurem  
 Pellat exemplo Iuvenis servate benigni.  
 Regna, domos, urbes, perversa calumnia solvit,      “  
 Verbera pro verbis fundens, pro melle venenum.  
 Est veri studium, quod firmat Regna domosq,

Atq,

Atq; urbes, & mortales caelestibus aequat.  
 Fortunâ Patri Natus successit iniqua.  
 Qui fratrum invidia patriâ turbatus ab omni  
 Post centum casus, post mille pericula tandem  
 Fridrici soceri, imperij ium colla prementis;  
 Ænea cui dederat cognomen barba; labore  
 Redditus est patriâ. quam dùm, Ladilac, retentas,  
 Plodecum tibi viam aufert, temetq; remittit  
 Ad veram patriam. Sequeris, Mizlac, parentem,  
 Nam tibi fors, hominum nunc mater, nuncq; noverca,  
 Silesiam attribuit, quæ supra est, Sicula tellus  
 Te vocat ad lucis tibi debita fata suprema.  
 Sextus ab hoc Casimirus erat; Teschina Bohemo  
 Rura Iovi qui accepta refert. hinc ordine quartus  
 Descendit, qui Glogoviam Patresq; rebelles,  
 Ardentem subitò justamq; erectus in iram  
 Obruit & graviter multavit: Srenica furta  
 Sanguineasq; domos & pallida regna latronum  
 Funditus evulsit terraq; everit ab ima.  
 Hic nato vixit super annos quattuor, atq;  
 Ordine natura verso successit. at illum  
 Posthumus interea exhilarat VVenzlaus Adamus  
 Estq; nepos successor avi, genitq; propago.  
 Quem, quando firmata virum jam fecerat atas,  
 Sidonix genitrix Sociali fœdere junxit:  
 Sidonia, cui prisca dedit magnam Angria stirpem.  
 Quis genus Ascanidum nescit, quis nesciat Vrsos?  
 Virtutesq; virosq; utriusq; & nomina gentis?  
 Hinc per avos atavos abavos tritarosq; parentem  
Dendite

Deducit Zedena, viro post fata superstes:  
 Sincerâ Heroïna fide, pietateq; præstans,  
 Moribus eximius rutilans, & prole beata  
 Adamo Venceslao. tanti ergo Parentes,  
 Stemmata tanta Ducem hunc Adamum progenuerunt.  
 Dulcis hymen hymenæe, hymen ades ô hymenæe l

Tempus erat viridâ quo cincta cacumine sylva  
 Nigrescit, varioq; iterum pulcherrima flore  
 Stat tellus; redeunt genitalia semina rebus,  
 Atq; coronatas inter Charitesq; Deamq;  
 Idaliâ medium tenero pede gramina pulsat  
 Candidus in crocæa spectandus veste Cupido:  
 Quum per sollicitos erraret Adamus aprici  
 Carpathii saltus, trepidantia retia Cervis,  
 Atq; plagas teretes tendens spumantibus apris,  
 Purpureas Aurora fores & plena rosarum  
 Atria ubi primum nitido patefecerat oru.  
 Jamq; operi intentus, quis me gravis occupat, inquit,  
 Somnus, quisvè Deus fluitantia lumina solvit?  
 Nec plura effatus, fatali tarda solutus  
 Flavicomos inter Narcissos membra quieti  
 Demittit, Somno svaves afflante vapores.  
 Viderat hunc toto proflantem corde soporem  
 Aliger, Elysiis quem Mater protulit hortis,  
 Et non hoc, dixit, tempus spectacula poscet.

Est cavitas, geminos inter projecta Cerebri  
 Parva sinus, camerata, vitello haud amplior ovi.  
 Hujc miras dicunt species includere rerum,  
 Spiritibus variè cursantibus, humida postquam

Vis somni placidâ compressit mole meatus  
 Nervorum ac sensus: vix Prothea credideris, se  
 Tot formasse modis. namq; hic modò fingitur ingens  
 Armorum sonitus; modò jus; nunc horrida tigris;  
 Nunc Draco squamosus, flammaq; per aethera nantes,  
 Consperserè manus humano sanguine; quaq;  
 Pallidâ mors animas miseris mortalibus aufert.  
 Hâc super Adamum Puer astitit, & mea posbit  
 Quantum ars, experiar, dixit: mox, cornea quâ se  
 Porta Dei, veris cincti & fallacibus umbris,  
 Effert, hâc roseis labiis & nobile famâ  
 Idolum; simile os humerosq; oculosq; coloremq;  
 Elæ, quam magno peperit Dux Anna Gothardo;  
 Immittit, stimulosq; addit: simulatq;, Curonum  
 Hec est Diva, Megalburgum quam detinet aula,  
 Auribus Adami deponit, & ustulat agrum.  
 Nec prius absistit, quàm ferro parvus acuto,  
 Quale puer quondam ventoso in Apolline fixit,  
 Laxisset Iuvenis trajecta per ossa medullas.  
 Dulcis hymen hymenæe, hymen ades ô hymenæe!

Obstupuit visa correptus imagine formæ  
 Adamus, corpusq; putat vidisse, quod umbra est.  
 Nec satis est vidisse semel, sed fixus in uno  
 Vultu hæret, Pario ceu factum è marmore signum.  
 Miraturq; genas roseas, & Apolline crines,  
 Dignosq; Idalia digitos & eburnea colla.  
 Jamq; juvat conferre pedem, jamq; irrita fronti  
 Oscula & ambiguo circum dare brachia collo.  
 Ter conatus erat fallacem apprehendere formam,

C

Ter

Ter conatus erat, ter imago ficta refugit,  
 Et portâ, unde datur veracibus exitus umbris  
 Exijt. Excutitur somno V Venizlaus & uno  
 Corde premens umbram sic alta silentia rumpit:  
 Quæ maneant tandem me cunq; insomnia, flammis  
 Exterior molles, & hiat cor vulnere grandi.  
 Vulnere sunt incussa mihi, nec Amazones ista  
 Vulnere fecerunt. utinam sed Amazones ista  
 Vulnere fecissent! Puer est. at quis Puer? arma  
 Qui gerit, & ferit antè armis, quàm providus hostem  
 Quis videat. Puer assiduus qui mobilis alis  
 Corda volare facit, cæco quæ laferit arcu.  
 Virq; orbem ladat, toto volat impiger orbe.  
 Quomodo sed posthac toto Puer orbe volabit,  
 In me letiferas tandem qui perdidit alas?  
 Ille meo vigil excedit de pectore nusquam,  
 Et geret assiduum nostro cum sanguine bellum.  
 Casariana cohors tot non assultibus Istrum,  
 Argolicusvè aries concussit mœnia Trojæ.  
 O, stultos, Regina Gnidi, quæ dirigit ignes,  
 Sit mihi fas licito peccasse cupidine! si quid  
 Peccârui, licitis meris qui claudit amorem.  
 Quæq; Ioves, Erycina potens, divosq; Supernos  
 Quæq; feras domuisse vales, domita Elisabetham:  
 Elisabem properè domita. fac ignibus aquis  
 Vrat me, quæ me non aquis ignibus urit.  
 Tuq; caput carum, rosa, purpura, regia Virgo,  
 Elisabetha, hospes magni nunc incluta Varni,  
 Ulterius nunquid placito pugnabis amori?

Desine,

Desine. res gravis est placito pugnasse calori.  
 Desine, quid veneri armata pugnabis inermis?  
 Martem bella decent. furtivos asper ad ictus  
 Decubuit Veneris Mavors. verum quid inermem  
 Te voco? quam rerum alma parens dulcedine forma  
 Armavit melius, truculentum ac ungue Leonem?  
 Nam quid ego memorem quos vidi vertice crines,  
 Crines? non crines: adamantina vincula crines,  
 Quis me constringis Dea fortius, Andromedē quā  
 Impius ad duras cautes religaverat Ammon.  
 Blandula candidulo quæ splendet ab ore venustas  
 Est jecori funesta meo. sunt spicula labella:  
 Flammeolum flamma est: sunt lumina fulmina: fulmen  
 Elisabetha oculis vibras, quod corpore salvo  
 Cor liquat, integris exhauritq; ossa medullis.  
 Vicisti, hoc habeo: ferrum submitto: manus do:  
 Tu modo nos contra verso ne pollice savi.  
 Dulcis hymen hymenæ, hymen ades ô hymenæe!  
 Finierat juvenis. sed non tamen ille calorem  
 Finierat. petit interea Cithereis Hypæpas,  
 Hic ubi Meonio pronata sanguine neptes,  
 Pectinis ingenium exercent, & flamine docto  
 Virgatum Tyriis impellunt vestibus aurum,  
 Artificiq; manu chlamydes & pallia pingunt.  
 Harum unam, fusos & acus quæ Leda regebat,  
 Alloquitur Chyteræa: soror, si numina fas est  
 Humanos mulcere animos prece supplicis, supplex  
 Te pallam posco signis auroq; rigentem,  
 Elisabethæ, regina atavis, quâ regia surgunt

Cornua Bucephali: quæq; est patre Martia Princeps  
 Stirpis, vivacem Cervumq; Alcenq; gerentis.  
 Dixerat. atq; comis Divum spirabat odorem,  
 Et vultu atq; oculis Dea Cypri vera patebat.  
 Obstupuere Deâ visâ, fatumq; subibat  
 Idmonias neptes avia. sed Leda timore  
 Excusso paucis contrâ hæc pudibunda profatur:  
 O quæcumq; Dea es, tuus explorare quid optes  
 Nonnè labor? nobis, te spernere, nonnè piaculum?  
 Idmonii manibus picta jam parte superstes  
 Stamen erat, grande aulaum, Iovis aula domusq;:  
 Veram aulam verasq; domos ac regna putares.  
 Namq; ibi per Geminos haud recta perq; sagittam  
 Deductus circus lactis candore perenni  
 Albus erat: senis his partibus hic, Capricorno,  
 Et Libra, & Tauro, & Geminis, & Virgine, &  
 Atque his oppositis, obliquo Baltheus orbe (Urna,  
 Celato insignem faciebat lumine mundum.  
 Proximaq; huic ingens, a quo libramine utrisq;  
 Spira polis distans totum cingebat Olympum.  
 Tum per Lanigeri curriebat perq; Bilancis  
 Principium Limes, primam partitus eisdem  
 Mensuram punctis; obliquis, signa ferentem.  
 Iamq; operi instabant acres. Emerserat Vrse  
 Cum pedibus cervix primis, pollexq; flagrantem  
 Strinxerat ore canem & clavum signaverat Argûs:  
 Tollite cuncta, inquit, cœptasq; hinc tollite telas,  
 Idmonia neptes, Divaq; advertite mentem:  
 Precipitate moras; taniunq; effata. sed ille

Protinus

Protinus incubuere omnes, operumq; laborem  
 Sortita pariter informant undiq; pallam.  
 Pars gracili Tyrias intendunt flamine telas.  
 Assyrias pars armat acus, pars licia præbet  
 Omnigenis infecta modis. fert illa metallum  
 Ductile Dalmaticum: Phrygias hæc porrigit umbras.  
 Fervet opus. cinctæq; omnes ad pectora vestes  
 Utuntur manibus rapidis, cunctamq; ministram  
 Pertentant artem. designat Leda laborem.  
 Dulcis hymen hymenæ, hymen ades, ô hymenæ!  
 Septima jam surgens revehebat lumina Titan,  
 Extremas cum palla manus sentiret. at illam  
 Imbuit extempld ambrosio Venus aurea succo,  
 Quo furiare solet Divosq; hominesq; Iovemq;  
 Et noti simul induitur faciemq; comamq;  
 Mercurij. penetratq; per omnia tela viarum,  
 Inq; Herulis tandem Dea candida constirrit oris:  
 Quâ se Gustrovii præcelsa palatia tollunt,  
 Dona ferens. utq; Elisaben in valle reducta  
 Inter Hamadryadas versantem fortè Sorores  
 Vidit: ab Alphaa missus tibi nuncius aula  
 Adsum, inquit: magni gratissima cura Tonantis,  
 Deliciæ matris, fratrumq; amor Elisabetha!  
 Promissam vestem, promissaq; munera portans.  
 Dixerat. Elisabe matris mirabile donum  
 Miraturq;, interq; manus & brachia versat.  
 Illa oculos nequit expleri, ardescitq; tuendo  
 Insignem pallam & non enarrabile textum.  
 Illic Bucephali longo ordine scepra videres



Crescere, Pellæo deductam tempore gentem;  
 Antyrios, centumq; Duces, centumq; Dynastas,  
 Quemq; sua inscriptum facie. spectasse Leonem  
 Hic erat, ingenti Pribslauin clade domantem,  
 Atq; ipsum Christi cogentem vincla subire.  
 Ille jugum constans suffert, iterumq; resurgunt  
 Mœnia Megapoles, collapsaq; castra Rosarum.  
 Nec procul hinc pronepos Pribslai Ianus in urbe  
 Sequanidum, doctusq; Dei & pietatis amorem,  
 Supremosq; ferens sacri Doctoris honores  
 Visitur. hic prisca flagrantem religione  
 Henricum, & studio accensum sacra urbis & orbis;  
 Vrbs Christi mortis, factorum conscius orbis;  
 Mancipat ad seros laqueos & vincla Canopi.  
 Vnde ipsum quintum post lustrum torrida Memphis  
 Exiit. exemptum rursus rapuere feroces  
 Pirata. tandem Cyprus tamen excipit illum,  
 Atq; larem ad patrium Massylia docta remittit.  
 Stabat & hic patri natus cognominis, heros  
 Ore, Leo factis pietate fideq; verendus,  
 Illum indignantemq; & circum castra frementem  
 Aspiceres, Cimbro forti dum Marte Rosetum  
 Eripit. Haud procul hinc Pragam gestire videres,  
 Albertoq;, Ducum Imperij quem Carolus albo  
 Intulerat, latam Pastanos spargere flores.  
 Ibat ovans animis ipsus, binosq; catenis  
 Constrictos Gryphos, & grandi torque decorum  
 Quadrupedem & niveo insignem candore traherat.  
 Hic exultantem Magnum, roseaq; corona

Ornatum

Ornatum frontem, Musisq; & Apolline cinctum  
 Cernere erat. patris quem parvula Neptis ocellis  
 Aspicit Anna. illam stant circum cœrula Divina  
 Litora & irrigui Saltus properantis Aboæ,  
 Ac pubescenti flores & lilia spargunt.

Talia per pallam generosa dona Parentis  
 Miratur, Venerisq; dolorum nescia versat,  
 Quoq; magis versat, tantò magis aestuat igne.  
 Quisq; ait hic Deus est ignotus, nostra calenti  
 Pectora qui igne rotat simul & sua tecta revisit.  
 Dulcis hymen Hymenæe, hymen ades ô Hymenæe!

Heruleam interea diffundit fama per aulam,  
 Carpathiis venisse jugis, qui sedere lecti  
 Elisaben poscat socio, sacrosq; hymenæos  
 Discipiat. vah ignotus per membra quid ardor,  
 Auguror, iste velit, virgo inquit. pronuba Iuno  
 Da signum, flammamq; istam bona dirige nostram?  
 Vix ea. Iamq; pedes alta generosus Adamus  
 Inruerat domui: cœlo ruit ecce hymenæus  
 Elisabenq; Hymen jampridem musua corde  
 Vulnera anhelantem, generoso spondet Adamo.

Salvete illustres animæ! non hispidus imber,  
 Torvè Austri, Balihen sævis vexare procellis  
 Haud veriti toties, nec hyems, nec frigora, vestros  
 Solvere, nec duri Thraces, potuère calores.

Ergo felici jam vobis omine tedæ  
 Affulgent, quintaq; sui quæ basia parte  
 Perfudit Cytherea, Hymen dat basia vobis  
 Pangere. mox etiam non tantum basia. sed tu

Sponse, licet properes, cursum moderare, beatum  
 Divide, sponse, diem, tu gaudia noctis habebis  
 Solus, sponse, diem cum illis, quos venit ad omnes  
 Letitiæ sensus vestra, partire, tuoq;  
 Qui gaudent thalamo! vident' ut generosa virum vis  
 Se ferat, & circum stans tadas turbine denso  
 Ingeminet plausus, & plausu personet aula?  
 Parte una Heruleus stat princeps tempora lauru  
 Victrici incinctus, manibus dans liliâ plenis.  
 Aspice, quantus honos frontis! quæ grata severis  
 Fulguret ex oculis gravitas! quæ gratia canis  
 Vlrici interfusa genis! Dii pectora tanta  
 Huncq; Patrem patriæ seros servetis in annos.  
 Ponè subit leni cum Majestate decora  
 Anna Socrus, soror Vlrici, & secum agmina ducit  
 Virginea, & castas veneres, illa ecce sonantem  
 Alterno terram quatunt pede; qualè per herbas  
 Nymphis juncta choros sub lunam Cypria ducit.  
 Stant & magnanimi Iuvenes, magni incluta proles  
 Gottardi: decus Eunomies, par nobile Fratrum,  
 Fridricusq; & Guilhelmus. quantum instar in ipsis,  
 Supra annos, Ducibus! quàm conspiravit amico  
 Fœdere cum molli Gravitas matura juvenita!  
 Hos inter medios se fert amor Elisabetha  
 Ille tuus, niveo Latona blandior igne,  
 Pulcrior auricomâ stellâ, VVenzlae, Diones:  
 Cuj facies cultum decorat, facieq; venusta  
 Pulcrior est animus, pulcroq; in corpore virtus.  
 Salvete illustres animæ! vobis Hymeneus

Ecce

Ecce nuces spargit maturus. tollite discos,  
Iamq; columbatim committite labra labellis.

Salvete illustres animæ! vobis Hymeneus  
Teschiniâ nonam post lunam parvulus aulâ  
Vagiat Adamus, proavos præstantibus ausis  
Qui referat, magnaq; æquet virtute parentes:  
Quem Thrax formidet crescentem: quem horreat Ister  
Lorica rectum triplici, clypeoq; coruscum.

Interea, illustres animæ, placidissima vestrum  
Conjugium canos Concordia servet in annos;  
Annorum donec saturos lux transferi una  
Vos ad odoratos campos, ubi perpetuum ver  
Permixti divis agitant Heroës, & inter  
Purpureasq; rosas & flavicomos narcissos  
Illudunt violis, alternaq; carmina pangunt.

Celebrabantur Nuptiæ Teschinij XVII.  
VIIbr. Anno 1595.



*In Nuptias*  
CONRADI TACITI Livoni,  
&  
DOROTHEÆ GARZÆÆ.

**T**Empus erat, tellus glacialibus uſta pruiniſ  
Cum riget; ante focos cum Ruſticus ocia querit;  
Cumq; pruinoſo dureſcunt flumina cælo.  
Fortè per ambiguum, infidas torquentis arenas,

C S

Albidos

Albidos errabat marmor Conradus, ovantes  
 Sæpè cui Charites blandè cecinère profecto.  
 Vix medium tenuit flumen: videt, ecce, supinura  
 Aligerum, pueri mentitum pectora noti,  
 Crura, manus, faciemq̄, enectum frigore: quid tu,  
 Ingeminat Tacitus, puer hic? quæ dira Parentem,  
 Huc te quæ misit, quæ dira libido coegit?  
 O ferrum! ô matris glaciali hoc pondere pectus  
 Durius! exanimem simul ac de marmore tollit.  
 Nulla mora est; palmas pueri manibusq̄, prehensans,  
 Nunc versat, nunc usq̄, fovet: nunc osq̄, genasq̄,  
 Demulcet, trepidansq̄, anima calida induit auras:  
 Nunc totum exuviis, quas Norica liquerat olim  
 Vulbes, quæisq̄, sibi frigus defenderat ingens,  
 Excipit, & gremio Tacitus fovet, inscius astus.  
 Ille ubi complexu molli colloq̄, pependit,  
 Mox Tacito tacitum sub pectore suscitât ignem,  
 Inflammâtq̄, virum falsus puer, & volat illinc.  
 Sensit vosfrutiem Conradus: cor mihi amore  
 Cur hiât, & cæco cur, inquit, carpitur igni?  
 Nulla est caussa, Puer, cur me sub imagine falsa  
 Delusum caperes. verum haud non-ultius abibis.  
 Grata Deo flamma est, sociali quæ igne calescit;  
 Gratus amor, binos castè qui jungit amores:  
 Hunc sequar, hûc, mîs factum Pueri hospitis astu,  
 Vulnus alam, venis; monstrabunt numina cursum:  
 Fata viam invenient: quod amem, Deus ipse, quod opto,  
 Ipse dabit, nostrumq̄, Pius sanabit amorem.  
 Audijt omnipotens vota hæc: Tacitoq̄, quod optat,  
 Præparat,

Preparat, & parili Tacitum quæ diligit igne.

Marchiaco locus est sub cælo per vetus atq;  
 Nobilis, à solis sortitus nomine nomen.  
 Illum flava Ceres & pleno copia cornu  
 Exhiberat, civesq; beant, quos vivida virtus  
 Et pietas clarat: nec longè hinc aula verendi  
 Knesbecki, mellis Musarum, nobilitatis  
 Gemma, iurritis sub cælum mœnibus exit:  
 Has Tacitus, cœcis tæbus præcordia flammis,  
 Soltquellas perit: haud frustra. Clarissima multas  
 Est alias inter Gens illius urbis, honestum  
 Cuj prævium decus, & dura virtute paratum,  
 Garzæum inflammat nomen, nomenq; coronat.  
 Quos inter VVernere, super cum his sedibus esses,  
 Lucebas: placida nunc postus pace quiescis.  
 Constitit ante domum VVerneris, atq; omnia versat  
 Conradus, tacitoq; premit sub pectore amorem.  
 Cunctantem, Conrade, sub hæc lecta! adibus istis  
 Invenies, superum gratissima munere quæ sit  
 Sponsa tibi, & pulcra faciat te prole parentem;  
 Nescio quis tacitè Tacitum monet: adibus istis  
 Dorotheam reperis Tacitus, gratissima quæ sit  
 Sponsa ipsi & pulcra faciat quæ prole Parentem.

Quid tibi erat Conrade animi? cum sedula longæ  
 Cura tibi noctes tereret; cum debita somnis  
 Sidera non somno labor improbus indulgeri  
 Annueret; patria à puero cum extorris & exul  
 Virtutem clarumq; decus per mille labores,

erP

*Per mare, per terras, prudens, sequerere, per ignes.  
 Quid tibi erat Conrade animi? sperare cupit am  
 Dorotheam & pactam, & fausto nunc oscine iunctã  
 Num potuit tua Mens? ni fallor, non magis istam  
 Fingere tibi licuit, mihi quàm, Curlandica castra  
 Cum sequerer, Fridrice, tua, Dux inclute, terra:  
 Margariden nostram potuit mea fingere Musa.*

*Quid tibi erat Garzæa animi? matercula parva  
 Cum flavos nodo crines innecteret udo,  
 Te tempus fallente, modò ut non. pexa capilla  
 Pollice inhereres; modo lusu ut amabile matris  
 Tardares, oculisve, opus, & cervice retortis:  
 Aut cum jam occulto, velut arbor, cresceret avo  
 Vis tibi, cum casta precepta salubria Matris  
 Imbiberes, magnamq; domum culta arte regebas?  
 Sape, rudes docto excoleres cum pectine lanas,  
 Seu teneris traheres bene - mollia pensa labellis,  
 Sive penum strueres, seu matris dicta notares,  
 Seu tua se voci divine immergeret auris;  
 Alto ducebas suspiria, nescia, corde.  
 Quid tibi erat Garzæa animi? suspiria nunquid  
 Ista tibi Tacitum tacitis adjungere flammis  
 Prægestivere? est aliquid, suspiria sola  
 Non potuere istud. Deus est, qui jungit amores.*

*Macte istis, Conrade, bonis! tibi divite cornu  
 Sponsa venit, pietate nitens & stirpe coruscans.  
 Hoc meruit Virtus: meruere insignia nostro  
 Præstita VVollino; meruere hoc nobilitati*

*Saldria-*

Saldriacæ exhibita, haud ventis inscripta, sed ipsi  
Cedro, in venturos, Merita, & memoranda nepotes.

Maçta istis, Garzæa, bonis! tu nobile donum  
Jovæ in complexus digni ruis inde Mariti;  
Hoc meruere Patris fasces; hoc gloria magni  
Hoieri meruit Garzæi; hoc pectore ab imo  
Vota, preces, tacita & suspiria ducta, tuæq;  
Hoc meruit gentis splendor, pietasq;, decusq;.

Maçti ambo! ecce polus dexter se in vestra resolvit  
Iura bonus! plaudunt Charites: Domiduca recurva  
Dorotheæ flavos incrispat cuspide crines.

Tu porcâ facito, Tacite; at tu Dorotheæ  
Siste lares, cinctumq;, ferat deijn Iuno jugalem,  
Ut novies fratrem cum transIt Luna, puelli,  
Haud taciti, Taciti vagiu per sonet aula.

Celebrabantur Soltquellis 1600.



Nuptiis

BARTHOLDI KICHLERI

J. U. D.

&

AGNETÆ CLINGIÆ

Postquam Margariden, maçtam Pietate bonisq;  
Corporis ingenijq;, ac verè margaritam illam,

Et maç



Et matronarum decus immortale, supremo  
 Est visum Iovæ, divorum poscere ad aulas,  
 Kichlerumq; toro viduæq; relinquere mensæ:  
 Ipse, suam cor edens, Bartholdus, lumine cassam  
 Lugebat, nunc Parcam & inevitabile lethum,  
 Nunc Gnata unius sortem, sua tectaq;, tristis  
 Vi fati, fidâ miserans orbata columnâ.  
 Jamq; erat in luctu totus, cum Cynthia aurem  
 Vellit, & admonuit: nunc, nunc tibi pectore firmo,  
 Nunc, Kichlere, animis opus est. Teucrinè dolores  
 Solabatur iter? curas te pellere oportet  
 Congemino studio. morem gerit ille monenti.  
 Atq; vale Gnata dicto, Christumq; precatus,  
 Longum iter ingreditur, rapidus cum cancer aristas  
 Vreret astivas, & cum juba densa Leonis  
 Excoquere inciperet sitientibus excita flammis.  
 Quid tibi erat, Kichlere, animi, cum primum abeunti  
 Visitari Vrbs lectû præberet? quidve? Lubecæ (hinc  
 Cum se ostentarent celsæ cum turribus arces?  
 Hamburgumvè subintrares turritaq; castra?  
 Aut molem ingentem, qualem prope mœnia Bremæ  
 Alte Visurgi rotas; minitantiæ tectavè cœlo  
 Embdana aspiceres? aut cum natalibus illam  
 Agricola insignem Groningam & Marte decoram,  
 Aut Batavos penè immersos frendentibus undis?  
 Oblitum nunquid potuisti linguere Varnum?  
 Credo, Paludano cum commonstrante stupenda  
 Nature artificis cupidus miracula videres,  
 Te potuisse! sed haud potuisti. Harmelia nam te

Cur

Cui vocat, ac inuicta Tibi sua mœnia jactat ?  
 Ultrajectinum potuit lenire dolores  
 Ergo tuos ? aut Westphalia miserabile fatum  
 Et cladem indignam qua ulciscitur; Admirantam  
 Dum, VVærdena, tenet nexum ? Romanavè præscit  
 Cui Legio nomen fertur tribuisse, tuonè  
 Ex animo delere Rosam potuère rubentem ?  
 Scaliger, Aonio decus indelebile fonti ;  
 Sacraq, quem clarant diva mysteria lingua,  
 Junius; & medicis qui præstant Heurnius atq,  
 Payvus divitiis; Themidosq, potentibus armis  
 Qui splendent Merula & Bronchorstius, ore diser-  
 Aut medicis herbis, aut lingua verbi potente, (10  
 Hoc forsân potuere? Viri, quibus Eurus & Auster  
 Assurgunt, plenusq, quibus sub pectore regnat  
 Phœbus, nemo horum potuit te. aſt Amsterodamo  
 Vrbe, hominum copia, ac opibus varijsq, superbâ  
 Mercibus, ac orbis Veneri qua est amula; nunquid,  
 Et cassam & moscum & staeten, & quicquid odorû est,  
 Quos vel dives Arabs mittit vel Sole perustus  
 Discinctusq, Afer, vel quos Panchaia sudat,  
 Ostentante, cales, reditumq, viamq, moraris ?  
 Nulla tibi potuit solers diaplasmata, tantas  
 Divitias inter, quibus eninet Amsterodamum,  
 Promere mercator, qua te caperentvè tenerentvè.  
 At cum Hagam, pagum; quo non peramœnior ullus  
 Est illo orbe locus, quò curia convocat omnem  
 Iudicio celebri Batavam, indomitosq, Selandos;  
 Spectabas; metuère tibi, metuère Sorores

Varnia

Uarniades. solvere metum Delphi; incluta cive  
 Vrbs, opibusq; potens, quondam scelerata nefando  
 Principis Auraici casu; castrumq; Metelli,  
 Et Vliffinga, cavo qua littore tota remugit,  
 Flandrica cum vanos torqueret abenea glandes  
 Machina in adversos hostes, Batavosq; feroces.  
 Illa Britannorum dehinc te mittebat ad orbem.  
 Mox tu, cum rediens tandem Sol tertius oras  
 Angelicas daret, & contingere saepe cupita  
 Littora, virginibus facie cultaq; decoris  
 Terram exultantem; sed divitem & ubere gleba,  
 Incusloditisq; ovibus, fulvoq; metallo:  
 Eboraci antiquis & pulcris edita saxis  
 Mœnia, turrigerumq; solum, templumq; vetustum  
 Purpureis redimita ostentans tempora mitris,  
 Lustras. hinc celeres mannos, pastasq; jugales  
 Nactus sexcentis spectata Lycœa caminis  
 Cantabrigum petis. inde viris & ponte superbum,  
 Iustitiæ & Regum Anglorum sedesq; domusq;  
 Londinum: Troinovantum dixere priores:  
 Te rapit: occiduis hinc quâ Sol mergitur undis  
 Magnificis surgunt regales turribus arces.  
 Atq; aliquis dixit: viden' hic pro more coronam  
 Accipiunt Reges? hinc autem ubi Phœbus ab axe  
 Eoo, vultu rutilanti, despicit urbem,  
 Arma viden' clypei, ferrum, tormentaq; abeno  
 Ere ut inardescant? illic ubi longa minutis  
 Area luxuriat tectis, urfosq; ferasq;  
 Committiq; Anglos cernes sine cade Molossos.

Hæc

Hæc aliquis monstrat tibi, præstantissime Sponse  
 Forè etiam Atralicis convivìa strataq<sub>2</sub> gemmis,  
 Hospite te, radiantq<sub>2</sub> bibuntq<sub>2</sub>, ferente puella  
 Cnosiacum, & blandos ponente in te bespitem ocellos  
 Sed tu discessus properas. Hamptcurtia; tecum  
 Cimbrica quæ certat Cronburgia; Graveserodum,  
 Et celebris Thomæ interitu Cantvaria, postquam  
 Sunt lustrata Tibi, mora parva est, Iccius ecce  
 Portus in adverso Anglicis te litore sistit.  
 Nonnihil indoluit Venus Anglica; sed tamen alma  
 Fata precata Tibi, violas & munera sparsit.  
 Ergo venis simul ac Francas novus hospes in oras,  
 Sequanides primùm Musas, pluteosq<sub>2</sub> frequentes  
 Invisis, salve, dixi, alta Lutetia, salve!  
 Tu, lauri & Themide & sacro diademate cinctum,  
 Tantum inter reliquas caput effers orbis alumnas,  
 Quantum alias inter quondam Roma extulit urbes.  
 At tu, Francigenæ palmaris gloria gentis,  
 Vrbs, agro medicas cur artes docta negabas?  
 Fortè, Dionysii sulvis, calvaria, crustis  
 Cincta, feret, dixti, curas? aut regia, claris  
 Quæ rutilat tumbis, requies, hunc pectore priscum  
 Margaridos poteri: marmorq<sub>2</sub>, abolere calorem?  
 Aut fons, artifices jaculans pulcerrimus amnes,  
 Hic ubi Germani visuntur mœnia divi?  
 Dixti. sed mage conspiciens longo ordine Reges,  
 Haud benè curatum renovas, Kichlere, dolorem,  
 Suspiransq<sub>2</sub> Tuæ casum miseraris acerbum.  
 Quid memorem, adverso quas Sequana flumine lambit,

D

Atq<sub>2</sub>

Atq; Ceres mihi ac Bacchus quas lumine terras  
 Dignantur? quidvè Aufrasiã, Lothringica tempe?  
 Quæ tu perlustras cupido loca pectore, carum  
 Deproperans reditum tandem, viduosq; penates,  
 Per rapidas Rheni ripas, quæ proxima meta est,  
 Transis, pomposam jactantem ad sydera turrim,  
 Argentinam. hinc Spira patet, locus inclutus ille  
 Ludicij, decus imperij regale: virumq; hinc  
 Atria doctorum Nicrus spumantibus undis  
 Et mons myrtorum pandunt: sedemq; vadumq;  
 Francorum Menus properanti flumine signat.  
 Et jam turrigeris aperit se mœnibus illa  
 Martia, vitales quæ te, Brunsviga, sub auras  
 Extulit. hic dulces cognati in sanguinis ultrò  
 Proruis amplexus. sed mox convivia rumpens  
 Dulcesq; amplexus, per Marchica rura reversus  
 Ulrici ad terras remeas, & castra Roseti.

Atq; hic finis erat cursus; sed meta doloris  
 Non erat, ut Phœbi monitu lenire dolorem  
 Speraras, tam fixa manet sub pectore flamma  
 Antiquusq; ardor: donec melioribus ausis,  
 Quæ Paradisiaci, Venus, est è vallibus orta,  
 Paullatim veteres ignes abolere torumq;  
 Incipit, & vivo tentat prævertere amore  
 Lampridem resides animos, desuetaq; corda.  
 Est vicus, Varni ad spaciofa fluemia, calentes  
 Cui Mercatores nomen tribuere: medelam  
 Hic, Kichlere, dabit, quam non potuere, nec illi,

Quis

Quis Francofurtum, vel Noriberga superbit;  
 Nec, quos Tya videt, Tamesisve, Humbrusve, ce-  
 Sequana, vel, qui illi spumanti jungitur amne, (Iervè  
 Matrona; vel Mosa quos penetrans ac Sara coarctat.  
 Hæc secum Cytherea. nec est mora. proinus Hagnes  
 Clingladæ Kichleri inflammat pectus amore.

Salve delictum Themidos, Phæbiq; corona,  
 Gemmaq; Doctorum, Kichlere! venusta, decora,  
 Cui pudor ex oculis vernanti purpurat ore,  
 Incenditq; animum Pietas, tibi ducitur Hagne.

Salve delictum Charitum, Pietatis alumna,  
 Flosq; puellaris, Iunonis pulla, nurûmq;  
 Varniadum decus, ô Hagne! tibi ducitur ille  
 Bartholdus, roseæ præclara corona coronæ.

Vivite felices, secundo numine, Sponsi!  
 Vivite concordēs, felici numine, Sponsi!  
 Vivite secundi, concordi numine, Sponsi!  
 Dum tenebræ lux existant, cancerq; gemelli.

Celebrabantur Rostochij 5. Maij, 1601.

*Nuptijs*

M. PETRI HOPPENERI

&

SOPHIÆ CVPERS.

D a

Phabet

**P** Hebei tibi cum conferrem insignia cætus,  
 Eque mea dextrâ, cum, Petre, Magister abires :  
 Quod tua nos probitas poscebat, & ardua virtus,  
 Candidaq; ingenua, quæis polles, munera mentis,  
 Et doctæ, quibus ornasti pectusq; animumq;  
 Divitiæ; aurifero bona non mutanda fluente :  
 Multa tibi ex animo benè sum studiisq; precatus,  
 Sperataq; tuæ, fieret, quod pacta, cupita.  
 Nunc voti reus, astringeram fero dona sub aram,  
 Sacraisq; focis, qua debeo, thura ministro.

Plaudere Hopenere, tuus tibi amor, tua vita, tuum.  
 Convenit in dextram: cum quâ blandisq; joculari (cor,  
 Vocibus, & sepius spaciari vespere in horis,  
 Quâ Varnus roseâ piscosus volvitur unda,  
 Sit tibi concessum: artificii qua gutture flexus  
 Crispantes imitans te in prælia devocet, ultrò  
 Quale solent Nymphae & Phœbus, præeunte Cybera,  
 Exercere: jugum Pindi cum vocibus assis  
 Personat, ac mistis fidibus focia excipit ora. ---

Plaudere, Hopenere, tuus tibi amor, tua vita, tuum  
 Quæ soaves finxit mores pietate, Sophia, (cor  
 Quæ casta ornavit mentem probitate, Sophia,  
 Quæ pudens linguam instruxit sermone, Sophia,  
 Cuj geminis decus ex oculis, cuj pectore honestas  
 Elucet: facies cuj candida purpurat, ut cum  
 Pura rubent medio deleta corallia ponto,  
 Aut cum est candidulis rosa Agendica mista ligustris:  
 Hic amor ille tuus, tua gaudia, vita, Sophia,  
 Illa diu sperata, ea pacta, hac luce; quod optas

Pronus;

Pronus; in amplexus omnes & in oscula cedit  
 Illa tibi. ardentem hæc non leni fomite flammam  
 Diluet. at Musas, atq; exhilarabile donum;  
 Quo recreare soles homines, laudare Tonantem,  
 Inq; probis animis virtutem accendere cantu;  
 Contrà iustammabit: donec vox viva, jugalis  
 Delicia lecti, sonitu plectroq; canoro  
 Vagiat in cunis, Cytherea non sine plausu.

Mæte Hopeneræ. Tibi, Rex Maximus Optimus  
 istam

Qui dedit, efficiat, blandum & sine murmure & ira,  
 Longævumq; fiet, divesq; & prole beatum  
 Conjugium. en oculos tango. Deus omnia firmet.



VALENTINO SCHACHTIO,  
 FRIDERICO RVNGIO,  
 DAVIDI LOBECHIO,  
 MATTHÆO FLEGIO,  
 SS. Theologiæ D. D. D. D.

**F**luctigavis quedam gigni memorantur in arvis  
 Ostrea, thuriferam Sol ubi torret humum.  
 Hæc, quoties redeunt tepidi nova tempora Veris,  
 Et variis maculant florida rura notis:  
 Immensum sitiunt: sitientibus unda Profundi  
 Frangitur, & Ponti vis rabiosa silet.

D 3

Lubrica



Lubrica sed quando premit aëstus guttura, tanto  
 Percipiunt gelido sistere fonte sitim.  
 Tantaleam non Callirhoë depellere, non fons  
 Idalius potis est, non Arethusa sitim.  
 Sola potest ficos oris relevare labores  
 Roscida, quæ Boos, gemmula, vingit agros.  
 Ergo natura monitrice, vadiq̄, relicta,  
 Ipsa catervatim litora nota perunt.  
 Concha ubi queque caris caput exeret arida testis,  
 Cælosq̄ auxilium testa supina vocat.  
 Rem miram! cælos videas rorare liquorem,  
 Et succo concham quamque rigare suo.  
 Rore sitim sedant conchæ: ros iste receptus  
 Crustatur: motu gemma fit unde jugi.  
 Quæ quando maris indomito mage tunditur aëstu,  
 Purior hæc tanto nobiliorq̄, cluet.  
 Talis sub vastis mæsta est Ecclesia regnis,  
 De Christo sanctum quæ pia nomen habet.  
 Pressa cruce in cælum confidens suspicit; audit  
 Christus eam, & verbi rore benignus alit;  
 Verbo, quod pellit Borealia frigora mentis,  
 Et sterili solvit pectora stricta gelu.  
 Verbo, quod cordisq̄ sinus tractusq̄, profundos  
 Irrigat, ac animos perpete fonte beat.  
 Sed quot ea adversis quassatur fluctibus, Orco  
 Gemma invisâ, uni gemmula cara Deo?  
 Hinc rabidi spirant immania fata Tyranni:  
 Hinc lupus, hinc vulpes tristia damna struunt.

Nec tamen ad tantos ea gemmula frangitur aestus,  
 Quassa sed assiduis fluctibus ipsa viget.  
 Ipsa viget, crescitq; magis, quod savior unda:  
 Gignitur, & prolem sub cruce pressa parit.  
 Quam tanto numero majori Ecclesia gignit,  
 Vulnera quod sentiri plurima facta sibi.  
 Aspice, quis, Bacmeistero sene praeside, Sancta  
 Pimplea imponit coccea ferta, viros. (denq;:  
 Schachtliaden, Rungjum, Lobeckjum, Flegia-  
 Hi quoq; sunt Marris Sarcina grata sacra:  
 Hos quoq; produxit felici Ecclesia nixu,  
 Ut tuba Plutonis fortiter usq; boët.  
 Vtq; Deo matrig; sacra pia munera praestent,  
 Exopto: voti est pars ea summa mei.  
 At vos ô Pardi, Crocodili, vosq; Leones,  
 Quos concham gemmâ despoliare juvat:  
 Quiq; dolo, corruptelis, ferroq; minaci,  
 Iussa Dei, & tantum qui violatis opus:  
 Ne magno constet captura cavete! remorsis  
 Vnguiculis, gemmâ qui potietur, erit.  
 Est patris in dextra Emanuel, hic ubiq; potenter  
 Defendit cœtus dogmata sacra sui.  
 Est patris in dextra Emanuel, hic ubiq; potenter  
 Vos videt, atq; oculo vindice quemq; notat.

### Nuptijs

HENRICI PAVLLI Medicinæ D.

&

CATHARINÆ PAPIÆ.

D 4

Qui

**Q**VI fontem bibit amne sacro Permessidos, ille  
 Pauliades, clares laude Machaonia:  
 Qui varios did. cit morbos depellere; morbum  
 Non medica potis est arte levare suum.  
 Vulnera qui sanat, quæ fecit Apollinis arcus,  
 Hunc vexant Paphia vulnera facta manu.  
 Cede, Venus dixit, palmam da Henrice, Cithereæ,  
 Hoc uno Paphiâ, Pauliade, minor es.  
 Nulla laboranti cuncta de pixide nata,  
 Hesperidumvè horis, est medicina tibi.  
 Non, si Nymphae lapides absorpseris omnes:  
 Quod factum à Paphia, Paphia vulnus alet.  
 Paphia vulnus alet: Pietatis Paphia ocellus,  
 Paphia virginæ gloria prima chori.  
 Hæc Venus. Henricum meditantem Paphia cepit,  
 Et Medico medicam Paphia spondet opem.  
 Macte Henrice! tui medicina doloribus ista,  
 Quæ venit in thalamum, Paphia cordis erit.  
 Macte Henrice! virum faciet te & Paphia Pappum,  
 Augebitq; bonis Paphia casta domum.  
 Utq; sit hæc medicina tibi, ut ditetq; beaq;  
 Multiplicetq; domum, det, precor ipse Deus.



Nuptiis

M. MICHAELIS VOLLINI  
 &  
 CATHARINÆ CVNOVIÆ.

Quam

Quam cuperem, VVolline, tibi, doctissime, coram  
 Sacro t.edarum testis adesse tuo!

Nec me, quid rigido nunc frigore constitit, Albis,  
 Nec gelidis me nix creta teneret aquis.

Irem ad te, properataq; colla jugalia mannis  
 Iungerem, & asspicerem festa cupita tibi.

Ipsa mihi, terna sobole stipata, profecto  
 Hoc dextrum Conjuncta clauderet, ecce, latus.

Deq; tribus, natu qui major, filius alter,  
 Me contra, aversa fronte sederet equis.

Alter at in nostris complexus, filius ulnis:  
 Hereret matris filia parva sinu.

Tali cum pompa novus hospes, crede, subirem  
 Perveteres Solis, limina clara, domos.

Mox, ubi raucitrepo letos clangore dedissent  
 Æra sonos, signum, sponse, Tibi, atq; Tue:

Pro te, proq; tua ad sublimia templa precarer  
 Iovam: libarem sedula vota Deo.

Ignis focus sacro, sacroq; maderet odore,  
 Quem tener è terra divite mittit Arabs.

Hinc letus magna me inferrem deinde caterva,  
 Convivas inter conspicererq; tuos.

O quam præclari, quam multa laude corusci,  
 Ornabunt istas, maxime amice, dapes!

Cernes Knesbecci præstantia pectora, quondam  
 Nota mihi, ad turres, liminaq; Elme, tuas:

Cum me Pancratis, Cleius Phœbiq; Scytalæ,  
 Formandum doctâ traderet arte Pater.

D s

Iam

Iam tum surgebant primum incluta tecta Lycei,  
 Crescebatq; novum Iulium & arduum opus :  
 Quod nunc Caselio & claris doctoribus auctum  
 Fama orbem, studiis pectora magna replet.  
 Par fratrum, ingenio haud aequales, Hampius atq;  
 Thomas, tum Musis incubuere simul.  
 Hampius ad superum nuper pia gaudia cecit :  
 Thomas in patria publica frena regit.  
 Hunc Thomã cernes. Conradum hinc, sponse videbis,  
 Plattenburgica cui data cura domus.  
 Cernes & socerum Canonem : quantus in ipsis  
 Esse decor canis visitur, atq; fides !  
 Ipse obiens mensas, redimitus tempora myrto,  
 Nunc in letitiam & pocula quemq; vocat.  
 Nunc tardos positus relevansq; sedilibus artus,  
 Sermones nuptos miscet, at innocuos.  
 Quos, multosq; alios, quos extulit incluta virtus,  
 Qui clarum merito nomen honore gerunt ;  
 Inter eris, tu sponse ; tuos meditatus amores,  
 Compositum tacita voce diemq; rogans.  
 Inter erit tua sponsa, suas meditat atq; flammæ,  
 O Sol Hesperis mergere, dicet, aquis.  
 His igitur mixtus plausu tua vota secundo  
 Insequerer : facito, quæ nova nupta cupit,  
 Hesperæ ; sic loquerer malè deproperantibus horis :  
 Utq; tuos laxes, Phœbe, precarer, equos.  
 Nunc absens-præsens, nequeo quod corpore præsens,  
 Mente, ipsum, præsens, in tua vota rogo.

At qui

At qui te, vera pietate & laude decorum,  
 Maclavit tantis, tot cumulatq; bonis:  
 Vt Sophia laurus serpat tibi tempora circum:  
 Vt per te resonent pulpita docta Deum:  
 Vtq; in complexus Cunonia Margaris arctos  
 Nunc redeat; verè Margaris illa; tibi:  
 Ipse tuum Deus edificet, regat, ornet, honestet  
 Conjugium: ipse beet cætera vestra DEVS.

Celebrabantur Soltquellis. 5. Febr. 1600.

*In obitum*

REGINÆ CHTTRÆÆ.

**A**D geminos ut te ludus, Godlmanne, beata,  
 Cum socero, unius conjugis urna vocat  
 Reginæ? verè regina: quâ Pietatem;  
 Quâ Matrem atq; Patrem; quâ decus atq; Virū.  
 O quæ cote malâ sanctos malè dividis ignes,  
 Cunctaq; falce tuâ mors truculenta rapis!  
 Reginam haud omnem rapuisti: gloria magni  
 Dum Patris atq; Viri vivit; & illa cluet.  
 Tu cave, ne summo cupias pugnare Iehovæ,  
 Iane, os Saxonie, Principis orbis amor.  
 Reginam, procus est qui Moris, abortus ad ortum,  
 Ad vitam letum duxit, & ad patriam.  
 Sic, hujus quicquid seris detraxit ab annis  
 Mæra, Tibi & Socero Maximus adijciat.

Ad

Ad BARTHOLOMÆVM  
CLINGIVM IC, & Professo-  
rem Acad. Rostoch. de obitu  
filii IOACHIMI.

Vix bene finierant lacrimæ: vix uvida fletu  
In tumulum soceri tempora desierant;  
Ecce tibi natum calido metit Atropos ense,  
Atq; malè obductum vulnus hiare facit:  
Natum, florenti qui jam surgebat ab ævo,  
Ad fluvij tacitas crescit ut alnus aquas:  
Cui teneris Helicon fuerat jam notus ab annis;  
Qui primas biberat lingue utriusq; notas:  
Quem jam ipsa Eusebia blandis complexa lacertis  
Seria virtutis grande docebat opus;  
Hunc, Clingi, natum calido rapit Atropos ense:  
Turbo velut frondes & sata leta rapit.  
Ergo, nec immeritò, pallentia corpora Nati  
Ingemis, & molles is pater in lacrimas.  
Ferreus est, durumq; gerit sub corde metallum,  
Tristitia qui sobolis funera siccus obit.  
Nec tamen humectas lacrimarum flumine vultus,  
Clingi, nec guttis commaduere gena,  
Nec fles, Heliades fratrem ut luxisse feruntur,  
Aut veluti fidei pectora cassa solent.  
Nunc tuus æterno pubescit flore iuventa  
Filius, & Christo non moriturus adest.

Ipse

Ipse Iove in manibus nostri bona despicit orbis,  
 Conspectuq; Dei pectora tota calent.  
 Lapsus abest, metus omnis abest, dolor atq; voluptas:  
 Sincereq; ipsi gaudia cuncta suunt.  
 Nos, hoc dum, miseri, quodcumq; est, degimus avi,  
 Ante Dei vultum, quid, nisi culpa, sumus?  
 Nos Dolor, Invidia stimuli, malefanda Libido,  
 Cura, Pavor, Pestis, Bella, Famesq; rotant.


Ad CHRISTOPHORVM  
 STURCIVM Equitem Livonum,  
 IC. de obitu D. DAVIDIS  
 CHYTRAEI.

**A**d tumbam lugere suam, clarissime Sturzi.  
 Ut vidit te praestans vis dia Chytræi,  
 Sedibus è mundi melioris ad infima nostra  
 Despiciens: Sturci lacrymarum desine, dixit.  
 Quò mibi tot gemitus, quem sancta palatia cali  
 Exceptum claris divorum manibus addunt?  
 Tantum ille. at salve caelo addite magne Chytræ,  
 Te, quem Sol oriens, quem novit & occiduum Sol,  
 Parva quidem premit urna; sed ista haud te premis  
 Namq; tui exiguum tellus obscura recondit, (urnas  
 Cetera tam parvâ non compefcuntur in urna.  
 Cessit in agnatas pars maxima & optima sedes:  
 Pars, fama nivea curru plaudente, per orbem  
 Immenso



Immenso vebitur in secula cundē triumpho.  
 Felix, tantarum cui laudum comigit, ore,  
 Legibus, arte potens præco: quo rectius unquam  
 Non tua virtutum præconia duceret ære  
 Lysippus, non ingenij formam ipsus Apelles  
 Pingeret; ò salve divine & magne Chytræe.

† 25 Iunii ad 1600. anno ætatis 71.

  
 In obitum HENRICI CAME-  
 RARII IC. & legum in Acad.  
 Rostochienſi P. P.

**V**IX bene finierat magnum quem Academia luctum  
 Ceperat ex obitu, magne Chytræe, tuo:  
 Marchiacas tristis cum fama vagata per urbes  
 Irrorat fletu pulpita Varna novo.  
 Sic igitur moriens, sic ò Cameraria virtus,  
 Funere perturbas pulpita Varna tuo!  
 Raptus es, heu! Camerariadel nec jura docenti,  
 Ceu solita, assurgunt pulpita Varna tibi.  
 Dicite Pierides, nam vos memorare potestis,  
 Cui binos tulerit tam brevis hora viros?  
 Alter anhelabat cœlesti dogmate plena,  
 Virtutumq; sacro pectora plena choro:  
 Pectora, multigenis Musarum doribus aucta;  
 Miris linguarum labraq; tincta bonis,  
 Seu Latine cupevet docēdē, seu efferre Pelasgo,  
 Hebraeovē etiam verba sonanda modo.

Sanctē

Sancte Senex, Pietas, Facundia, doctaq; scripta,  
 Nomen ad astra ferunt, magne Chytiae, tuū.  
 Alter erat legalis apex, virtutis ocellus,  
 Iustitia cypus, Religionis amor.  
 Qui cunctas sophia eximie perceperat artes,  
 Quae decus aeternum posteritatis habent.  
 Cedite, qui sophien memorando spernitis ausu,  
 Flos Camerariades flos erat ille sophum.  
 Flos erat ille Sophum, & Doctorum gloria Iuris,  
 Papiniani olim gloria qualis erat.  
 Vera loquor: Varnaq; schola, Varnaq; iuventa  
 Tu Camerariade Papinianus eras.  
 Quid memorem? tua quod Domus hujus & urbis &  
 Vandalici oraclum, te superante, fuit. (Orbis  
 Tu cives, tu magnates, populosq;, suarum  
 Quos rerum dubios cura tenebat iners:  
 Consilio, diuulg; caris quam saepe iurabas,  
 Ut ne tractarent res sine mente suas.  
 Dicite Pierides, nam vos memorare potestis,  
 Cur tantum tulerit ferrea Morta virum,  
 Scilicet haec Varo deerat fors una Lycéo:  
 Nostra malo hoc fuerant concumulanda mala?  
 Nec tibi, Morta, satis, magnum rapuisse Chytream:  
 Ni Camerariaden praterea raperes.  
 O funesta dies, nullo signanda lapillo,  
 Qua Camerariaden abstulit eximium!  
 Quanquam lux facta est ea clara: Herostratus olim  
 Ceu factus templo, vana Diana, tuo.

O uti.

O utinam, veniente illa, famulantibus horis  
 Iungere cum Titan induperaret equos,  
 Purpureas aurora fores clausisset, & imo  
 Gurgite veloces continuasset equos!  
 Digna equidem Pietasq<sup>2</sup>, viri, Rectiq<sup>2</sup>, Sacriq<sup>2</sup>,  
 Ingens ardor erant digna tuo officio.  
 Nunc, quia nec Pietas, nec quicquam profuit ardor  
 Recti, nec virtus profuit ulla viri:  
 Ille jacet Camerariades, jacet illa columna  
 Nostra Scholæ, capitis nostra corona jacet.  
 Eheu! quæ nuper, Camerariade atq<sup>2</sup> Chytræo,  
 Varnéo Laurus margine læta stetit,  
 Nunc moreret, mutatq<sup>2</sup>, suam cum fronde colorem,  
 Decussam ramis conqueriturq<sup>2</sup>, decus.  
 Ipse quiritantes frustra compesco querellas;  
 Tam savus retinet pectora nostra dolor.  
 Sæpè oculis, lacrimas istas quin sistitis, ajo:  
 In lacrimas vox hæc nil mea juris habet.  
 Dicite Pierides, nam vos memorare potestis,  
 Cur tantum tulerit ferrea Morta virum?  
 Fle Pietas! fle sancta Fides! fletu ore rigate,  
 Ingenuus quotquot pectora candor habet!  
 Sithonia Camerariades qui corda gerebat  
 (O decus immensum!) candidiora nive:  
 In nive subsidens, Iove sub cœloq<sup>2</sup>, sereno  
 Germanam patriam cœlica regna petit.  
 Tu quoq<sup>2</sup>, tu, Brunsviga, alto preme pectore luctum,  
 Heu! Camerariades occidit ille tuus.

Occi-

Occidit, heu! Camerariades tuus ille, nec ultra  
 Te poterit monitis ille juvare suis.  
 Flete omnes, quiscunq; Deus, Phœbusq;, Themisq;  
 Et vera cura est Relligionis amor,  
 Flete omnes, carmen depromite triste, dolorum  
 Cunctaq; flebilibus claustra aperite modis.  
 Dicite Pierides, nam vos memorare potestis;  
 Cur tantum tulerit ferrea Morta virum?  
 Flet Pietas: flent Varniades, Probitasq;, Fidesq;:  
 Flent omnes, quotquot pectora candor habet.  
 Ipsa sui Brunsviga ut funera civis inaudit,  
 Obstupuit, cœlo ceu stupet ic̄ta domus.  
 Et laniata comas, quis me manet exitus, inquit,  
 Linq;is ut afflictam me Camerariade?  
 Te sine nil latum nobis, nec amabile quicquam,  
 Presidium nostrum sustulit una dies.  
 Talia congeminans urbs clara doletq; gemitq;  
 Jam sibi præreptum jam Camerariaden.  
 Dicite Pierides, nam vos memorare potestis,  
 Cur tantum tulerit ferrea Morta virum?  
 Ante alios uxor Camerari, ut littera tanti  
 Nuncia mœroris venit & invaluit,  
 Attonita, ingenti percussa q; fulmine corda  
 Tristitia, insanis est cruciata modis.  
 Quid referam? stupuit, Dravi velut accola, Turcam  
 Ediculae ut sentit rumpere tecta suæ.  
 Me miseram, exclamat, sic sic peregrinus in oris  
Longinq;is conjunx exanimata cadis!

E

Non-

Quondam cum fueras absens, ut care valeres,  
 Sollicita ad Christum vota precesq; tuli.  
 Sæpè requisivi, qua nunc tenet aula maritum?  
 Et timui vitæ non metuenda tuæ:  
 Sæpè tibi cupido felix iter ore precata,  
 Hoc, inquam, servent prospera fata caput.  
 Christe fac ut redeat, nostrasq; reversus in ades,  
 Exhilareret vultu pectora mæsta suo.  
 Vota Deo placuere, nec irrita vota fuerunt  
 Pristina: servabant prospera fata virum.  
 At nunc, me miseram! pro conjugè triste cadaver,  
 Proq; viro reduce, eheu! libitina venit.  
 Non hoc pacta fides, non hoc promissa volebant,  
 Vox mea sollicito cùm daret ore vale.  
 Eheu! me miseram!! quid culpem, nescio, nostros  
 Num incusem errores, fatavè dura querar?  
 Fata quis incuset, fati nisi nescius? altum  
 Qui fatum ignoras argue fata, miser.  
 Omnia quæ fato eveniunt, mihi dante Jehova  
 Eveniunt: Jova nil sine fata queunt.  
 Ergo meos culpem errores? num turpe malumq;  
 Commisi, aut scelere est hæc scelerata manus?  
 Christe nefas prohibe tantum! tu sanguine Christe  
 Mundasti innocuus crimina nostra tuo.  
 Tu nobis sancti das dona salubria Flatus,  
 Qui ciet afflatu pectora nostra suo.  
 Ergò nec in fato culpa est: & sancta vocari,  
 Diciq; immeritò passa malum ipsa queam?

Eheu!

Eheu ! jure malum hoc patior. quis enim ante tribunal

Dicetur justus, sancte Jehova tuum ?

Promerui, fateor, Deus Optime Maxime. sed cur

Hanc pœnam è multis millibus una luo ?

Nostra maritales cur non pia dextera vultus

Composuit ? rapuit cur brevis hora virum ?

Cur non amplexu Bonus exhalavit in isto ?

Cur nostram famulam tam malè sensit opem ?

Sancte Deus ! tua sancta & inexplorata voluntas

Hec fuit : hæc placeat, da mihi, sancte Deus.

Est equidem hoc durum miseris mortalibus ævi ;

Sed tamen ut placeat da mihi sancte Deus.

Hec animo alternans Dobbinia Margaris, omnem

In gemitum & varias itq; reditq; vices.

Matrem lugentem fletus planctusq; dolorq;

Natarum insequitur mox Camerariadum.

Ac veluti vitis gemit ulmo orbata marito :

Nec quo se possit tollere palmes habet :

Haud aliter Mater, generosaq; Triga sororum

Flet mortemq; viri, flet obitumq; Patris.

In partemq; vocant luctus tantiq; doloris,

Affinem, & generum Chemnitiumq; virum.

Vidi ego maerentem soceri pia funera fletu,

Magnum arte, insignem, Chemnitium, ingenio

Addunt se socios genere & virtute decori,

Legum apices, Themidos delictum, urbis honor,

Heinl, Cotmannus, cū Kichlero, Wilebrandus ;

Affinemq; suum sic cecidisse dolent.

Et quid tale edunt, cygnus per leta Caystri  
Æratolæsus vulnere quale canit.

Parce manu rigida Pietatem ledere Stoa;  
Parce! decus lacrumæ, vox Pietatis, habent.

Dicite Pierides: nam vos memorare potestis:

Cur tantum tulerit ferrea Morta virum?

Sed bene habet! procul ito dolor, procul ito tumultus.

Cedite vos gemitus, cedite vos lacrumæ!

Mortales posuit magnus Camerarius artus:

Æternum vivit gloria magna viri.

Hoc meruit Pietas, Sophie, Candorq<sub>3</sub>, Fidesq<sub>3</sub>,

Et Decus, & Probitas, Relligioq<sub>3</sub> viri.

Ergo ipsi Pietas, Sophie, Candorq<sub>3</sub>, Fidesq<sub>3</sub>,

De vivo templum marmore constituunt.

Clara viri. similes veris, in imagine vultus,

Brunsviga, eximij pignus amoris, habet:

Hoc quoties spectat, lacrumat, roremq<sub>3</sub> marinum

Suspendit cera, grataq<sub>3</sub> dona viro.

Nec minus aula ipsi præstat Pomeranica Bariba:

Dannberga officium, Saxoq<sub>3</sub> præstat idem.

Quin & Menalius meditatur carmina Varnus,

Atq<sub>3</sub> suos cygnos discere mandat ea.

Illi certatim peragunt mandata, decusq<sub>3</sub>

In Camerariadæ guttura docta parant.

Ipsè ego, si quicquam possunt mea carmina, famam

En Camerariadæ gratus ad astra feram.

Macte vir ingenio, Camerari, & dotibus aucte

Divinis, cœli quem tenet alma quies!

Antè Nicer Varno, Balthe miscbitur Albi,  
 Nec rapidus celeres Ister habebit aquas;  
 Quàm tanta ex trifido tollatur gloria mundo:  
 Interea salve, perpetuumq; vale.  
 1601.

*In obitum.*

CHRISTOPHORI STUR-  
 CII, equitis Livoni, IC. & Histo-  
 riarum in Acad. Megapolita-  
 na P. P.

S Vada: Themis: Cleio: Mneme: Pietasq;  
 Fidesq;,  
 Plangite! cur? vester Sturcius occubuit.  
 8. Mense Aprili 1603.

In obitum DAVIDIS LOBECHII  
 S. S. Theologiæ D. & in Acad. Ro-  
 stochiensis P. P. ibidemq; in templo Iaco-  
 bæo Archidiaconi.

*Epicedium I.*  
 Ecclesia.

O Pater, innocuis vastum qui legibus orbem,  
 Quiq; regis calum, qui mare, quiq; solum:  
 E 3 Iusta



Iusta bonis & iusta malis qui premia iustus  
 Dividis, innocuum iudiciumq; foves :  
 Eheu ! quid potui tantum committere culpa ?  
 Eheu ! quid tantum commerui misera ?  
 Eheu ! que tantas potuere piacula furoris  
 Nostra tuas in me , iuste, cedere faces ?  
 Sum misera horrificis propè jam jam fracta procellis :  
 Famq; meum recidens in caput unda furit.  
 Aspice, ut hausturas timeant ipsa aquora fauces :  
 Aspice, & in quoquam sit, Deus, anne salus ?  
 Me miseram : ignovomo decussus fulmine malus  
 Luctatur medijs gurgitibus pelagi :  
 Nulla ligat funes rupta anchora : per mare vastum  
 Hinc vento, hinc rabidis fluctibus acta feror.  
 Naufragaq; intentant hinc illinc littora mortem :  
 Vlla patrocinio nec mihi dextra tua est.  
 In te presidium rebar portumq; paratum,  
 Sive oritur, seu sol vespere tingit aquas.  
 Quàm frustra hac spes est ! quin tu me rejicis , in me  
 Savius ut decume corruat aestus aquæ.  
 Me miseram : vidi jam tot submergier undis  
 Nauteros, quorum sæpè probata fides.  
 Utq; alios taceam : laterum hæ tabulæ anne faciunt,  
 Interitumq; gemunt Ægidij Hunniadis ?  
 Scilicet hoc etiam restabat vulnere in illo,  
 Quo nullum poterat durius esse malum :  
 Ut gravis abriperes præstantem dotibus ampli  
 Ingenij, nocuo funere, Lobechium ?

Lobe.

Lobechium, quo non alius vel doctior ullus,  
 Vel morum precio pluris emendus erat :  
 Cui navis nostræ rector non rectius ullus,  
 Candidior vè olim nemo futurus erat.  
 O fatum ! ô duri miseranda pericula nostri  
 Temporis ! in quod me , mi Deus, ecce rapis !  
 Aspicias, ut tumido meretrix Babilonica fastu  
 Regnet, ut in calum tota furenter eat.  
 Non Deus es, placidam qui ducas corde quietem :  
 Nec steris ; quondam stertit ut ille Baal.  
 Sed vigil es, oculos vigiles , auremq; patentem  
 His super, in terris quæ peraguntur, habes.  
 Ergo audis, quæ blasphemus spumaverit ore  
 In sanctum flamen stigmata Gretserius :  
 Gretserius : quo non aliud monstrosius ullum  
 Monstrum : Summani leno, cloaca, seges :  
 Pontificis palpo : Missæ falsarius : erro :  
 Sacrorum effractor : sannio : scurra : Thraso :  
 Baptismi stryx : prædator calicisq; catillo :  
 Tarpei insanus Gymnasij cuculus.  
 Ergo audis, quæ blasphemus spumaverit ore  
 In sanctum Flamen stigmata Gretserius.  
 Audisti, atq; audis, memoriq; hæc mente reponis :  
 Et tamen in miseram me ruis immeritam.  
 Meq; feris jaculis istis, quibus ille periret,  
 Perfidus in Fovam, Gretserius melius.  
 Nonne tuum colui semper sanctissima numen ?  
 Nonne tui Gnati gloria , cura mea est ?

Nonne tibi mentem castam, non pignus amoris  
 Intactum & fidei jura reservo, Pater?  
 Hiccinè honos nostræ pietatis? præmia nostra  
 Hæcine præstantis Lobechij tumulus?  
 Heu me! quod mors est nullis medicabilis herbis:  
 Cur tantum in sanctos, Morta, tuum imperium est?  
 Nunc mihi nunc magno ducenda est vita dolore,  
 Squallida & afflicta nox erit & tenebræ,  
 Qui fuit ante dies. stete, heu! deducite fontes,  
 Quis cordi est tanti tanta ruina viri.  
 At vos Tarpeje meretricis fulmina, mundi  
 Tormina, sanctorum funera, & orbis onus:  
 Ne nostro, ventres, nimium insultate dolori,  
 Nec quod me Omnipotens oderit, hinc capite.  
 Sum vera altisoni, sum vera Ecclesia Iora,  
 In chaos antiquum cuncta licet redeant:  
 Tela licet fuerint in me vibrata Iehove,  
 Inq; caput nostrum mundus & orcus cant:  
 Sum tamen altisoni sum vera Ecclesia Iora,  
 Quam roseo emisti sanguine, Christe, tuo.  
 Ipse mihi pressæ succurret: non ita pressam  
 Opprimet: huic curæ propria dogmata erunt:  
 Nauceros dabit ipse alios, qui candida pulchro  
 Et docto & puro pectore corda gerant.  
 Ipsi haud difficile est è saxis fingere doctos:  
 Vincere non ars est simplicitate sophos.  
 Quondam piscatum qui retia ferre solebant,  
 Pontificum arguis opposuit furys.

Ille per infantes cantari gaudet, ovansq;  
 Facta trucidis pectus dat furiata Papa.  
 Ipse meos caelo dicat donatq; fideles,  
 Quos gravis hic Jovæ pressit amica manus :  
 Cum vos, Tarpeja praesava sagina cloacæ,  
 Nocturni manes, claustra, Erebusq; manent.  
 At, tu Lobechi, fuerit dum praeco fidelis,  
 Scripta tua atq; labor, nostra ea gloria erunt.

---

*Epicedium* II.

Academia Rostochiensis.

**E**T potero ingentes unquam comescere luctus,  
 Quos mihi Lobechi mors inopina facit?  
 Heu ! heu ! non querulo praegnantia lumina fonte,  
 Ora nec assiduis immaeant lacrumis ?  
 Quid moror hos trucibus digitis laniare capillos,  
 Scindere & has vestes, hocq; ferire caput ?  
 Sic juvet insanum sic explevisse dolorem !  
 Vlla sit afflicta nec medicina mihi.  
 Huc properent questus : certatim accurrite lymphae :  
 Singultuq; inter singula verba veni.  
 Huc properent fletus : fletus properate fideles,  
 Vlla suis lacrumis hora, cavete, vacet.  
 Nonne satis fuerat viduatam funere magni  
 Chytræi abreptos tot doluisse viros ?

Luscovium, Camerariaden, Sturciumq; disertū,  
 Quiq; Orpheus noster Braschius atq; decus.  
 Heu! heu! te quoq; nunc rapiunt tua fata, meum cor,  
 Lobechi, svada gloria, noster amor.  
 Et tua vel pietas, vel morum vivida virtus,  
 Imbutumq; bonis artibus ingenium,  
 Quaq; per hunc orbem felici gloria curru  
 Ibat, te morti subtrahere haud potuit?  
 Quis tanto, quis me nunc tanto ardebit amore,  
 Lobechl quantus pectoris ardor erat!  
 Est equidem raptus: Iovam voluisse putandum est:  
 Quo sine nec vilis desluit ore pilus.  
 Ast ego victuris tibi candida ferta parabam  
 Floribus: & spes hæc hæc erit illa mea,  
 Dicebam: Bacmeisterum Schachtumq; verenda  
 Virtute & claros canitie excipiet  
 Lobechius, cum nostra reget subsellia, quali  
 Me pridem cultam fovit, amore pari.  
 O spes fallaces! pro fertis justa paranda  
 Lobechio veniunt pectine luctifico.  
 Inunc, i finge, ð reditura Academia, quondam  
 Qualia tum fuerant secula, finge tibi:  
 Cum mea doctissimi resonarent pulpita verbis:  
 Haudq; aliud paries, clara nisi, imbiberet:  
 Cum benè concordijuncta essent corda docentum  
 Mente, nec huc alter tenderet, alter eò:  
 Ante suis mea cum certatim commoda ferrent,  
 Meq; feret magnum deseruisse nefas:

Cum

Cum me nutricis studium exhilararet, & omnis  
 In me exornandum ferveret ire labor.  
 I nunc, i finge hac reditura Academia secla :  
 Quam non expectes, sapius hora venit.  
 Sæpè suum repetit madesactus pastor ovile,  
 Cui surgens clarum spondet Apollo diem.  
 Et, cui longævus ipsi promittimus annos :  
 Quam credas tibi eum Mors gravis ante rapit.  
 Lobechi, æternum decus, & mea gloria, & ardor,  
 Quam te complectar, sidera donec erunt :  
 Cælo conscriptus qui vivis perpete vita,  
 Vive bone & semper, vive, Beate, polo,  
 Donec erunt, mea quas geminent subsellia, voces,  
 Lobechl nomen, gloria semper erit.  
 Et tu magne Deus, quo percutiente calenis  
 Pectoris insanis æstuo vulneribus :  
 Tu miserere mei, Deus, ô miserere ruentis  
 Et mihi da vires, da mihi præsidium :  
 Suffice, qui doceant : quos servas, Christe, docentes,  
 Quiq; docent serva, Christe, benigne meos.



### Epicedium III.

Defunctus : Defuncti Socer, Uxor,  
 Proles.

D. **C**ur tam flebilibus, Socer, Vxor, optima proles,  
 Cur mea ploratis funera, quaeso, modis?  
 Amisè

- S. Amisi generum, tarda baculumq<sub>3</sub> senectæ,  
 Solamenq<sub>3</sub> meum, præcipuumq<sub>3</sub> decus.  
 Collegam amisi, poteram cui fidere tuto,  
 Quiq<sub>3</sub> gregem Christi pasceret ipse fide.  
 Cor nostrum amisi: atq<sub>3</sub> socer qui dicier olim  
 Gaudebam, hoc dulci nomine cassus eo.  
 Cur non stebilibus socer, uxor & optima proles,  
 Deploraremus funera tanta modis?
- V. Ast Dominum amisi, bene concordemq<sub>3</sub> maritum,  
 Nobile pacatæ præsidiumq<sub>3</sub> domus.  
 Cui mihi magnus honos fuerat nupsisse marito,  
 Is jacet, & mortis vulnere casus obit.  
 Me miseram: illius qui præsi lumina, cuius  
 Optassem claudi lumina nostra manu.  
 Quis mihi nunc Dominus fuerit, capitisq<sub>3</sub> corona.  
 Nobile pacatæ præsidiumq<sub>3</sub> domus?  
 Eheu! ceu Libycis cervus deprensus ab urfis  
 Terretur, venient cuncta timenda mihi.  
 Sum misera: hæc brevis est nostrorū summa malorū,  
 Quæquæ ac amisso conjugè vivet, erit.
- P. At patrem amisi, quo non mihi dulcior ullus,  
 Cum quo nostra simul mortua tota domus,  
 Qui me præceptis formabat sedulus istis,  
 Marmorea Dominus qualia lege cupit.  
 Regula qui vitæ pia, sancta, probata, decora,  
 Qui mihi tutor erat, quiq<sub>3</sub> amor atq<sub>3</sub> timor.  
 Heu factum indignum! unius mihi morte parentis  
 Infortunatè munera tanta cadunt.

O pater

O pater, d' dulcis genitor, mea gloria, cum quo

Ipsa ego & hac tota est vita sepulta mea!

Quis me preceptis augebit? regula vite

Quis mihi erit? tutor quis mihi, quisve timor?

Heu mortem indignam! cur non orbata, parentis,

Proles deslerem funera tanta mei?

Dum memori herebunt animo tua dicta parentis,

Prorumpent oculis flumina larga meis:

Et memori herebunt animo tua dicta parentis,

Donec & hoc cælo perfruar atq; animo.

D. Non est, cur tantis, Socer, Vxor & optima proles,

Cur deploretis funera nostra modis.

Est Deus: is Socero baculus, collega, levamen.

Is pater Vxori, tutor erit Soboli.

Est Deus: huic toto fas est confidere corde:

Cura ipsi est viduo sola relicta thoro;

Hanc ceu pupillam defendit: credite tantum,

Certior haud vobis qui pater, ullus erit.

Hec animo vestro volvi decet: omnibus una

Est tandem vobis trita terenda via.

Vivere qui cepit, simul incipit ipse moriri:

Qui moritur, tandem desinit ille mori.

Vitæ benè excessit, vitam incipit ipse perennem

Vivere, qua non est vita alia ulla super.

Ergo pio lucrum mors est: mors pro ma triumphi est:

Quæ mala, si parcat: quæ bona, si feriat:

Sic totus jungar socero, uxori, soboliq;

Supremum incendet cum tuba plena diem.



*In obitum.*

**V A L E N T I N I S H C A C H T I I**  
S. S. Theologiæ D. & in Acad. Ro-  
stoch. P. P. ibidemq; in templo  
Iacobæo Pastoris.

**A** H Pietas, si flesti unquam, nunc flumina funde!  
Occubuit tua nam gloria Schachtia des.  
**I** ntegritas, si flesti unquam, nunc flumina funde!  
Occubuit tua nam gloria Schachtia des.  
**F**lete pia Muse, Charitas, Pax, Tempa, Lyceum!  
Nam vestra occubuit gloria Schachtia des.  
**I**lle ille occubuit! vivit tamen, hîc, ubi sese  
Aligerum extollit regia; Schachtia des.  
**Q**uin, dum Varnus olor fuerit, dum Ecclesia sancta,  
Perpetud vivet gloria Schachtia dis.  
**C**hriste! tui sætas miserere, hujusq; Lycæi,  
Atq; alium nobis da, Pie, Schachtia den!  
θ pridie Id. Iunij 1607.

**I n o b i t u m L U C Æ B A C M E I S T E R I**  
S. S. Theologiæ D. & in Acad. Ro-  
stochiensis P. P. ejusdemq; urbis Ecclesia-  
rum Superintendentis.

*Abiterum*

**A** H iterum rosei præclara columna Lycæi,  
 Ab cecidit Clarij gloria prima chori!  
 Ab cecidit Bacmeisterus! probitate subactum  
 Ac varijs donis cui benè pectus erat:  
 Cujus cor Fidei radiabat lumine puro,  
 Et verâ pectus cognitione Dei:  
 Ex cujus Peritho labijs spirabat, & ingens  
 Veri, & virtutis candidioris amor:  
 Cujus consilijs stabat Respublica nostra:  
 Qui Varnam ornabat sedulitate scholam:  
 Quam tantâ pietate Senex redamabat, ut hujus  
 Commoda rumores poneret ante hominum:  
 Qui Iovæ, magnisq; viris, Patriaq; , Bonisq;  
 Cæsaribus gratus, Principibusq; fuit:  
 Hoc tantum, ab, nostrum cecidit decus, ornamentum!  
 Ab cecidit Clarij gloria prima chori!  
 Invida Mors, quid non designas? Schachtia denq; &  
 Stocmannum, magnos ingenio, arte, viros:  
 Et quem miratur Rhenus, Rhodanusq;, Padusq;  
 Hannielem, rapere hinc non fuit ergo satis?  
 Nj super & Bacmeisterum tua magna libido,  
 Nec satiata fames adderet, ecce, Tribus?  
 O fatum infaustum! viduata hoc lumine tanto  
 Et Tempa, & Varnæ pulpita cerno scholæ.  
 Christe Deus, nostri clemens miseresce Lycæi:  
 Atq; tui cætus ô miseresce Bonus!  
 Parce scholæ huic nostræ: parce, optime, parce nec ultra  
 In nostros finite, ut lurida parca ruat.

Da Bacmeisteros alios : quos, Christe, dedisti,  
 Serva : da pacem, cetera daq̄, tuis.


Tu verò, Luca, cælo decus addite, salve!

Semper inoblitus, Tu mihi tu fueris.

In mare fluctivagum dum Varnus flumina mergit,

Grata tuæ laudis fama superstes erit.

6. 1608.



HERMANNO NOESTIO,  
 propempticon.

**M**Idam superbum sidere clarius  
 Aurum juvet, cui ducere Creticæ

Mos poela fravis : cui saporem

Dulcem epula Sicula elaborant.

Te sacra, Noesti, munera justiciæ,

Haud invidendis artibus excitum,

Deliniunt : te, quovis auro,

Exsantiant, melius, beatum.

Testantur Elma pulpita nobilis,

Te legibus pridem erudientia :

Testatur Albus-Mons, olorum

Vsq̄, ferax, Themidosq̄, custos :

Testantur alma pulpita Varnidos,

Quæ te remittunt jam ad patrios lares :

Hinc tu redisti semper antiq̄

Doctior, invidiaq̄, major.

MOX,

Mox, cum penates letus adiveris,  
 Rhenu, vel Elma, aut dives opum Padus,  
 Rursum evocatum te tiara  
 Purpurea, nec ea incelebris  
 Incinget. ac tunc vate Simonio;  
 Tardabit alas si neq; carminis  
 Fati volucris vis; ferere  
 Laudibus ad geminos poli axes.  
 anno 1600 mense Sept.

HIEREMIAE GODELMANNO

Jurisconsulto,

Consiliario Hennenbergensi.

**G**odelmanne, Patris magni exoptata propago,  
 Hieremia, qui doctrinâ & virtute coevos,  
 Et fidi superas animi candore, minores  
 Mane novo veluti stellas praestinguit Eoſ  
 Phosphorus: ut letor, salvum quod sancta remisit  
 Te nobis tellus! constanti ubi pectore Christum  
 Falsus, perpetuis transcribis nomina seclis.  
 Ergo nec deêrit fructus. te Saxo, potenter  
 Qui lateq; regit, septemvir diligit, & jam  
 Consilij imponit tibi curam, clara superbos  
 Quâ montes inter sese Meiningia tollit.

Godelmanne Pater, quem Caesar suspicit, orbis  
 Saxonicusq; colit, quem demiratur & Ister,  
 Albiq; & Rhenu, tanto letare beatus  
 Dono! & tu, Patris ingressus vestigia magni,

F

Hiere

Hieremia, servato istam præstantibus ausis  
 Quam servas mentem : dum Te, qui cuncta gubernat,  
 Inq̄ suas servat laudes, Patriq̄ salutem.

Gratulabar Dresdæ. 1608. menſe Septemb.



IOACHIMUS BASSEVITIUS  
 Præpositus Sverinensis.

*ovovg.*

Musica basis es : pius victor : pius venerans :  
 i, vifes.

**I**ncluta nobilium laus, ô Joachime, virorum,  
 Regum amor, & patrij gloria prima soli,  
 Bassevici ! quàm sunt rari, qui Musica seculo hoc  
 Castra fovent, studijs & benè qui cupiunt !

Musica tu Basis es, quo Maccenate Sororum  
 Hortulus Aonidum gaudet Apollineus.

Tu Musas semper colis : esto littera testis  
 Publica VictorI, Caselijq̄ manus.

Ergo Pius Victor monstri es, quod livida nigro  
 Dente in magnanimos dividit ora viros.

Atq̄ Pios Venerans, quid scava calumnia fundat,  
 Nil curas, Momi niq̄, moraris opus.

**I**, tantis animis plenus, Joachime, Jehovæ  
 Applausum Vifes, ipse, beatum, ovans.

HEN-












O pater, o dulcis genitor.  
Ipsa ego & hac tota e.  
Quis me præceptis augeb.  
Quis mihi erit? tutor  
Heu mortem indignam!  
Proles deslerem funera  
Dum memori herebunt a  
Prorumpent oculis flu  
Et memori herebunt ani  
Donec & hoc cælo per  
D. Non est, cur tantis, Socer  
Cur deploretis funera  
Est Deus: is Socero bacu  
Is pater Vxorî, tutor  
Est Deus: huic toto fas e  
Cura ipsi est viduo s  
Hanc ceu pupillam defen  
Certior haud vobis q  
Hec animo vestro volvi  
Est tandem vobis tri  
Vivere qui cepit, simul in  
Qui moritur, tandem  
Viq; benè excessit, vitan  
Vivere, qua non est v  
Ergo pio lucrum mors es  
Quæ mala, si parcat:  
Sic totus jungar socero,  
Supremum incendet o

16



the scale towards document

77

uo  
a!  
imor?  
parenis,  
rentis,  
ntis,  
proles,  
en.  
:  
m,  
t.  
a  
men  
phi est  
t:  
m.

13